ABSURDA JANSENISTICA
SEU
SCELERATUS
Per gratiam Paschasii Quesnelli
JANSENISTARUM ANTESIGNANI
Ab omni culpa & pœna
IMMUNIS,
Uti evidentissimè demonstrat sequens
DIALOGUS
SEU
COLLOQUIUM
THEOLOGI CATHOLICI
CUM JANSENISTA
Nunc primùm latinè
EXPOSITUM.

à R. P. JOANNE POSZAKOWSKI
Societatis JESU Theologo.

In Typographia S. R.M. & Reipub:
Coll: Varsaviensis Soc: JESU. A. 1755.

DEDICATIO

JLLUSTRISSIMO
AC
REVERENDISSIMO
DOMINO
MARTINO
Comiti in Załuskie
ZAŁUSKI
EPISCOPO Drasnensi, Suffraganeo Plocensi, Præposito Coadjutori Plocensi, Duci Sielunensi, Abbati Sulejoviensi, Præposito Infulato Lascensi. Cantori Cracoviensi.

TEnuem, paucisq; tantummodo conflatum è foliis Libellum,

Tuis, PRÆSUL JLLUSTRIS-SIME, tum manibus, tum oculis indignum judicarem; nisi ut aliarum rerum sic Librorum quoq; pretium, aliunde potiùs, quàm à magnitudine sola æstimari nossem. Ut enim non solo hoc titulo commendanda veniunt volumina, quòd grandia sint, quòd referta foliis, nisi foliorum numero exquisita respondeat sapientia: Sic exigua hoc solo nomine, quòd exigua sint, contemnenda quis putet? Spectanda necessitas, cujus intuitu in lucem eduntur; consideranda utilitas, quam adferunt: expendenda veritas, quam proponunt: quæ si ritè perpensa fuerint, tum demum suum de libris cuiq; judicium esto. Li-

Libellus, quem præ manibus habes, quemq; Tui juris esse cupio, is est, qui, si judices constituantur oculi, apparet exiguus, si ratio consulatur, iis merito annumerandus videtur, qui res perpaucis notas degunt. Latuit hucusq; viros alioquin probè eruditos, solâ nonnisi proscriptione notum Quesnelli nomen: perniciosissimum illud virus centum & una propositionibus conclusum perpaucis bene perspectum erat: earum aliquæ non modò hæresim non sapere, sed pietatem redolere multis videbantur.

Jngemui, nec super multorum ignorantiam conceptus dolor levis fuit, cùm illi responderet solicitu-

dini, quâ cuperem venena illa de- tecta omnibus. Quare operæ pre- tium duxi, libellum hunc Gallico ante aliquot annos idiomate in lu- cem prolatum, Latino donare, ut etiam nostrarum regionum homini- bus Jansenianæ & Quesnellianæ hæ- reseos virus minime esset occultum.

Præter laborem in hoc opere, mihi vendico nihil; nec aliud mihi agere visus sum, quàm ii, quibus cultura hortorum cordi est; qui cu- râ non postremâ in id incumbunt, ut transmarinas etiam arbores è na- tivo solo transferant, suisq; hortis inserant, fructum habituri certè non minimum.

Nativum solum libello Gallia

fuit,

fuit, qui ut primùm in meas ma- nus venit, perspecta ejus soliditate in confutandis centum & una Pro- positionibus per Bullam UNIGE- *NITUS damnatis, mox eum lati- nitate donavi; nec alii laborem hunc meum dedicare volui, quàm Tibi,* PRÆSUL JLLUSTRISSI- ME, *Cujus & flagrantissimum ze- lum in errantibus à veritate, dedu- cendis in viam rectam, & in con- vincendis Hæreticorum animis tum solicitudinem & peritiam, tum re- spondentem iis felicitatem perspectam habeo.*

Tui proinde juris pauca hæc folia esse volui, quæ errorem dete-

gent

gent non paucis, veritatem loquentur multis, Nomen verò Tuum pe-rennaturum, deprædicabunt plurimis.

Jta precatur.

JLLUSTRISSIMÆ
ac REVERENDISSIMÆ
Dominationis Veſtræ
Fundatorio Nomini.

Obligatiſsimus
Servus.
J. P. S. J.

PRO-

PROEMIUM.

QUàm primùm prima exemplaria hujus Dialogi Gallico ſermone in lucem prodierunt, mox optatum ab Auctore fructum protulerunt. Primùm quidem ipſe titulus Libelli in admirationem traxerat Lectores, qui eo ſolo inſpecto, putârunt joci gratiâ, & exhilarandi animi causâ, hunc Libellum in lucem eſſe protractum.

Sed poſtquam illum attenta mente pervolverunt, animadverterunt in eo contineri ſolidam diſcuſſionem, & exactam analogiam famoſarum illarum Propoſitionum Quesnelli de quibus ab anno 1714 hucusq; feré ab omnibus in privatis conſeſſibus diſſerebatur, ſed à majore eorum parte præter numerum damnatarum Propoſitionum, & præter nomen Auctoris earum, nihil ampliùs ſciebatur.

Verùm hic Dialogus palàm oculis Lectorum expoſuit, & evidenter demonſtra-

ſtravit, has Propoſitiones eſſe pernicioſiſſimas Reipublicæ Chriſtianæ, quæ à plurimis putabantur nihil aliud ſpirare, niſi puram putam pietatem & devotionem: quaſi verò etiam in aliorum Hæreſiarcharum libris non reperirentur aliqui textus, quò ad apparentiam tam bene pii, quàm ſunt ad ſpeciem devota Quesnelliana dogmata.

In hoc igitur Dialogo ſeu Colloquio Theologi Catholici cum Janſeniſta, videbis benevole Lector, quantum in ſe virus contineant Propoſitiones Quesnelli centum & una per Bullam UNIGENITUS damnatæ, ſi ſedato animo & à prævent one remoto, huic Colloquio aures præbueris.

In hoc etiam te, benevole Lector, præcautum eſſe volo, ne in unam perſonam confundas duos Cornelios JANSENIOS, unum Epiſcopum Gandavenſem, inſignem Catholicum & illuſtrem Sacræ Scripturæ Interpretem, qui piè in Domino

mino obiit Gandavi in Belgio die 10. Aprilis anno 1576. ætatis annorum 66. Et alterum ejusdem nominis & cognominis Epiſcopum Iprenſem, qui decem integris annis poſt mortem primi natus eſt in Hollandia anno Domini 1585. factus Epiſcopus 1635. mortuus Ipris in Belgio 6. Maji 1638. Et hic eſt famoſus ille Auctor libri titulo AUGUSTINUS, ex quo quinq; ſequentes Propoſitiones excerptæ, damnatæ ſunt ab Innocentio X. & ab omnibus ejus Succeſſoribus.

QUINQUE PROPOSITIONES Cornelii Janſenii Ep. Iprenſis damnatæ.

1. *Aliqua DEI Præcepta hominibus juſtis vol ntibus & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoq; illis gratia, qua poſſibilia fiant.*

2. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

3. *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.*

4. *Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: sed in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui possit humana voluntas resistere vel obtemperare.*

5. *Semi-Pelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

Centum verò & una Propositiones Quesnelli in his quinque Jansenii Propositionibus fundatæ, per Constitutionem UNIGENITUS die 10. Septembris anno 1713. à Clemente XI. damnatæ, citabuntur fideliter in contextibus hujus Dialogi & in ipsamet Bulla inferiùs ponentur.

Quid autem hominis fuerit Paschasius Quesnellus? breviter responsum accipe. Is fuit natione Gallus, charactere & professione Presbyter regularis Congregationis Oratorii à Cardinali de Berullo Parisiis institutæ, Caput doctum, sed pervicax & inquietum. Pro-

Proscriptus à sua Congregatione anno 1685. secessit in Flandriam, ubi clàm latebat solis suis Asseclis cognitus. In hoc secessu multa composuit Opuscula, & ea per suos amicos in lucem provexit inter alia Novum Testamentum Gallico idiomate cum reflexionibus moralibus &c. Et dum anno 1703. consurrexisset contestatio inter Theologos ratione Decisionis Casûs conscientiæ factæ per 40. Theologos [de quo infrà post Bullam Unigenitus] Quesnellus hanc Resolutionem Casûs suscepit defendendam, composuitq; librum Gallico idiomate sub titulo: *Epistola unius Episcopi ad alterum Episcopum: seu Consultatio super famosum Casum conscientiæ resolutum á 40. Doctoribus Facultatis Theologicæ Parisiensis.* Episcoporum nomina ementitus est, tum ut majorem adderet suo libro auctoritatem, tum ut attentiores redderet Lectores.

Vix hic seditiosus liber in lucē prodiit, mox Theologorum imò etiam aliorum

commovit ingenia pro & contra decertantium, ac ipsum in secessu suo hucusq; latentem prodidit Auctorem: quem ob excitatos tumultus Archi.Episcopus Mechlinensis die 30. Maji 1703. captivavit. Sed Quesnellus per suos amicos invenit modum erumpendi ex carcere.

Inde elapsus fugit Amsterodamum sub protectionem Ordinum fœderatorũ, ubi mansit usq; ad mortem suam quam obiit, si bene memini, anno 1723. protestando se mori in Fide Catholica: ratione tamen damnationis suarum propositionum, coram advocatis duobus Proto-Notariis Apostolicis, protestatus est, se non recedere ab appellatione facta ad generale Concilium: si fas est credere publicis illius anni novellis.

Tanta est spontanea induratio peccatoris, liberé gratiæ Divinæ prævenienti, excitanti, ad bonum moventi, adjuvanti [quæ nulli deest] resistentis ob vanam famam *constantis viri* apud suos asseclas conservandam! DIA-

DIALOGUS
Inter Theologum Catholicum & Jansenistam.

1. *Theol.* Mi Domine, scio, te esse Discipulum Quesnelli, ejusq; magnum defensorem: sed non video medium, quò effugias ab hoc cornuto ariete, quòd omnino necesse est vobis, vel vestra principia relinquere, vel si ea non reliqueritis, oportet aperire omnes carceres, omnes incarceratos libertati suæ asserere, omnia tribunalia justitiæ tollere, & omnibus Judicibus valedicere.

Jansenista. Quid dicis mi Pater? in ambages me vis ducere?

2. *Theolog.* Non ducam te in ullas ambages, sed puram putam dico veritatem: quia admissis vestris principiis, nullum video homicidam, assassinum, parricidam, matricidam, adulterum, incestuosum, publicum latronem, furem sacrilegum, qui non possit auxilio vestrorum principiorum, se excusare ab omni culpa & pœna.

Jansenista. Quid? auxilio nostrorum principiorum! Nunquid me putas esse è numero Molinistarum, qui laxam tradunt Doctrinam moralem?

3. *Theolog.* Non te reputo esse Molinistam: sed judico te esse talem, qualis es; nempe quòd sis inimicus Doctrinæ laxæ Molinistarum, & Defensor acerrimus rigidæ scholæ ratione doctrinæ moralis: verbo, quòd sis zelosissimus Propugnator Quesnelli. Nonne id tibi gloriæ ducis?

Jansenista. Sine dubio id gloriæ mihi duco, sed nunquid secundùm prin-

cipia Quesnelli, fur sacrilegus, publicus latro non est dignus furcâ aut rotâ?

4. *Theolog.* Quid? furcâ aut rotâ! quinimò juxta principia Quesnelli, publicus latro ex decreto judicum nuper Parisiis per carnificem extremo supplicio affectus [loquamur de hoc uno latrone] dignus est canonizatione, potestq; poni in vestro Calendario una cùm vestro sancto Parisio.

Jansen. O quanta blasphemia! fur sacrilegus, latro publicus, nuper ex sententia Judicum in rotam actus æquè potest canonizari & poni in Calendario, ac vir sanctus Parisius, qui mortuus est in odore sanctæ appellationis à Papa ad universale concilium! iterum exclamo: ô quanta blasphemia!

5. *Theolog.* Non sufficit hic exclamare, ac reclamare, sed oportet audire rationem asserti mei. Visne illam audire?

Jansen. Ah non! nolo eam audire, si perrexeris ulteriùs maculare memo-

riam tam sancti Appellantis : exnunc me proripio & abscedo !

6. *Theolog.* Quantum damnum! quia ego, supposito, quòd vester beatus Parisius tam sit sanctus vir, qualem vos illum jactatis, volui pulcherrimam facere comparationem illius cum dicto latrone : vidisses, unum semper vinculatum gratiâ invincibili, & alterum semper tractum cupiditate insuperabili : hoc est vestrum sanctum sine meritis, latronem sine culpa & reprehensione.

Jansen. Sanctum sine meritis, latronem sine culpa ! paradoxa mi Pater loqueris ! quid per ea intelligis ? edissere.

7. *Theolog.* Non paradoxa : quia quale meritum potuit ponere vester sanctus Parisius, quòd obtemperaverit gratiæ Divinæ, si illi non potuit resistere? Et si cupiditas est insuperabilis, quomodo culpandus est latro?

Jansen. Vale ! nolo amplius audire tam impia convitia:

8. *Theolog.* Quid dicis impia convitia ? hic est modus loquendi ipsiusmet Quesnelli.

Jansen. Vale ! sine me abscedere ! ibo ad sepulchrum S. Parisii : orabo eum, ut faciat aliquod miraculum ad te convertendum.

9. *Theolog.* Frustra fatigaberis, mi Domine, en jam est apposita ad prandendum mensa ! invito ad eam : reficiamus corpus cibo, mentem Theologico discursu:

Jansen. Libens manebo pro refectione corporis, si parcere volueris famæ nostrorum sanctorum : quia ego nullo modo volo audire sarcasticas cavillationes in tali materia.

10. *Theolog.* Bene ! relinquo comparationem vestri sancti cum latrone : loquamur de solo præfato latrone: utique is non est ex numero vestrorum sanctorum ?

Jansen. De latrone publico nuper

in rotam acto, ut placet, dicito quæq; mala.

11. *Theolog.* Quid? quæq; mala? ego dicam de illo omnia bona.

Jansen. Quid? de latrone publico notorio fure omnia bona dices? & quid boni hic sceleratus gessit?

12. *Theolog.* Certè mi Domine, licet sis Quesnellista, nondum tamen intelligis vestrum Doctorem Quesnellum: quia si eum intelligeres, tunc uno ictu oculorum videres doctrinam Quesnelli esse apologiam, seu excusationem, expurgationem, emundationem paratam pro omnibus latronibus: & si præfatus latro fuisset Jansenista, tunc cum Quesnello potuisset obturare os omnium accusatorum.

Jansen. Fateor, me non bene penetrâsse profunda doctrinæ Quesnellianæ: Nihilominus sentio me esse bonum Jansenistam; & tamen præfatum latronem, qui fuit mastyx seu flagellum penè to-

tius Galliæ, semper judicavi dignissimum rotâ.

13. *Theolog.* Sic judicâsti, sed innixus aliis principiis: nam Quesnelliana principia evidenter eum non tantùm justificant, sed etiam faciunt honestum virum.

Jansen. Quomodo id audes asserere?

14. *Theolog.* Id audacter assero: in principiis Quesnelli hic latro honestus est homo, & valde honestus: verbo dicam, est homo irreprehensibilis & si tu aliter judicâsti, es obligatus in conscientia, vel ejurare Quesnellum, vel reparare famam latronis.

Jansen. Mi Pater, vis video risum exercere!

15. *Theolog.* Minimè: Faciamus de novo processum juris de dicto latrone: & judicemus eum à cunabulis usq; ad rotam secundùm principia Quesnelli, & videbis utrum ego risum exerceo?

Jansen. Timeo, ne in muscipulam incidam, tuis argumentis seductus.

16. *Theolog.* Nihil timeas: quia clarè videbis paratam apologiam ſcelerati latronis.

Janſen. Volo itaq; eam videre.

17. *Theolog.* Sed primum conveniamus de realitate principiorum Quesnelli. Scis ut q; mi Domine, unum ex maximis principiis veſtri Doctoris eſſe hoc: quod ſit gratia *invincibilis.*

Janſen. Scio hoc? ſed loco appremiſſæ apologiæ ſcelerati latronis, vis me trahere ad diſputandum de gratia.

18. *Theolog.* Minimè! Non diſputabimus: ſed tantùm rogo, ut conveniamus in hoc, quòd ſecundùm Quesnellum, gratia ita eſt *potens & ſuprema, ut ſit invincibilis: hoc eſt, talis, cui nunquam poſſit reſiſti.* Eſtné hoc verum?

Janſen. Omnino ita eſt. Quesnellus in omnibus ſuis ſcriptis ſupponit hoc principium eſſe inconteſtabile & æternæ veritatis: in particulari in propoſitione decima, quæ eſt una ex cen-

centum propoſitionibus per Bullam UNIGENITUS damnatis, ita clarè docet:

19. *Gratia eſt operatio manus omnipotentis DEI, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.* prop 10.

Et 21. *Gratia JESU Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis omnipotentis, ſequela & imitatio operationis DEI incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum.*

Item 16. *Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ: quia nihil reſiſtit omnipotenti.* Sed quid hoc pertinet ad apologiam ſcelerati latronis?

20. *Theolog.* Et maximè pertinet: quia poſito hoc maximo principio *gratiæ invincibilis*, ego evidenter tibi demonſtrabo unum ex his duobus: quòd hic ſceleratus vel nunquam commiſit ullum ex his criminibus, de quibus accuſabatur; vel ſi illa commiſit, nullam meruit pænam & reprehenſionem. Et ſic

ſic quomodocunq; accipias hunc ſceleratum, ſemper erit in principiis Quesnelli inculpabilis & irreprehenſibilis.

Janſen. Video! deſignas pulchrum planum pro conſtruendo ædificio funebris orationis in laudem hujus ſcelerati nuper in rotam per carnificem acti!

21. Theolog. Sed vide, quomodo hoc planum impleam, ſequendo ſemper principia Quesnelli; Hic publicus & notorius latro, vel habuit gratiam illis momentis, quibus commiſit tot & tanta crimina, vel non habuit; ſi ille habuit gratiam, non potuit illa committere, ſi non habuit gratiam, non potuit ſe à ſua paſſione & cupiditate defendere. Et ſic, ſive ille commiſit tam enormia ſcelera, ſive non commiſit, non meruit ullam reprehenſionem, & longè magis non meruit tam crudele ſupplicium.

Janſen. Videtur mihi conſequentia bona & recta, nihilominus volo eam probari.

22. Theolog. Facilè eam probo ex principiis Quesnelli *de gratia invincibili.* Quia *primò* ſi hic ſceleratus habuit gratiam, clarum eſt, quòd illi non potuit reſiſtere, cùm gratia ſit invincibilis. Et ſi non potuit gratiæ reſiſtere, ille non potuit committere crimina, de quibus accuſabatur: quandoquidem ad committendum unum ex criminibus, neceſſario debuit potuiſſe reſiſtere gratiæ, ſive habuiſſe potentiam reſiſtendi gratiæ; conſequenter ſi ille habuit gratiam, non ſolùm non commiſit ſibi objecta crimina, ſed etiam nec potuit ea committere, cùm non habuerit potentiam ea committendi. Et ſic per hoc primum principium Quesnelli, hic homo extremo ſupplicio affectus, erat immunis ab omni accuſatione: illius accuſatores convincuntur calumniæ, & ejus Judices obligantur in conſcientia ad reſtaurandam ejus famam.

Janſen. Hæ illationes valent, ſi dictus

ctus homo habuit gratiam: sed quid si non habuit? Nam ipsa ratio dictat: si gratia *est invincibilis*; ergo illa vinci, superari non potest, aliàs eo ipso non esset invincibilis.

23. Doctor igitur noster Quesnellus supponit eum non habere gratiam, qui peccat: quia si haberet gratiam, non posset peccare: quia gratiam habens non potest ei resistere & non obtemperare: ut multis locis docet noster eximius Doctor præsertim in propositionibus per Bullam UNIGENITUS damnatis.

Propos. 1. *Quid aliud remanet animæ, quæ DEUM atq; ipsius gratiam amisit, nisi peccatum & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum.*

Propos. 2. *JESU Christi gratia principium efficax boni cujuscunq; generis, necessariá est ad omne opus bonum: absq; illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest.*

Propos. 5. *Quando DEUS non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.*

Propos. 9 *Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.*

Propos. 17. *Gratia est vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad JESUM Christum: quicunq; ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus á Patre.*

Propos. 38. *Peccator non est liber nisi ad malum sine gratia liberatoris.*

Propos. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum, est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

Propos. 40. *Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.*

Propos. 41. *Omnis cognitio DEI etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire nisi á DEO, & sine gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum DEUM, loco affectuum adorationis, gratitudinis & amoris.*

Propos. 42. *Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad Sacrificium fidei, sine hoc nihil, nisi impuritas, nihil nisi indignitas.*

24 *Thdolog.* Supponitur ergo vester Doctor, imò claré docet. eum, qui peccat, non habere gratiam. Atqui Quesnellus etiam ex hac parte justificat latronem & facit eum irreprehensibilem. Quia si gratia latroni defuit, non potuit abstinere à sceleribus, ad quæ tentabatur à sua passione, seu cupiditate: cùm juxta doctrinam ejus prop. 2. *JESU Christi gratia principium efficax boni cujuscunq; generis, sit necessaria ad omne opus bonum,* scilicet sive magnum, sive parvum, sive facile, sive difficile, tam ad incho-

inchoandum, quàm ad continuandum, ac perficiendum: *abs q; illa non solùm nihil fit, sed nec fieri potest.*

25. Si sine gratia nihil fieri potest, & hæc latroni defuit: ergo latro nihil potuit facere in ordine ad vincendam cupiditatem, quæ eum trahebat ad latrocinia: hoc est, *nec potuit* se abstinere ab exercitio talis artificii, ad quod se sentiebat habere ex natura talentum: *nec potuit* repellere malam cogitationem, quæ illi quotidie præbebat occasionem, suum artificium deducendi ad praxim: *nec potuit* reprimere stultam ambitionem gloriandi se esse Coriphæum & Ducem latronum: verbo *nihil potuit* facere, quo suam mortificaret passionem. Ergo ille non est culpandus, quód non mortificaverit & non vicerit suam passionem: quia mortificare & vincere suam passionem, sine dubio est aliquid boni facere: quomodo ergo ille aliquid boni potuit facere, qui nihil boni potuit facere?

26.

26. Quomodo ille potuit conari facere tam magnum, tam arduum & difficile opus, quale est vincere suam passionem, qui nec parvum, nec leve opus potuit facere?

27. Item quomodo ille potuit continuare & perficere aliquod opus bonum, qui nec inchoare potuit? verbo quomodo potuit vincere sine auxilio gratiæ Divinæ passionem & tentationem suam continuam & violentam qui non potuit resistere vel levissimæ tentationi sine gratia DEI.

28. Concede igitur, quòd, si illi gratia defuit, tentatio ejus erat supra vires: quodsi huic tentationi succubuit, hoc attribuendum est ejus infelicitati, non crimini, & consequenter omnia ejus latrocinia, furta &c. adscribenda sunt potius negatori gratiæ, quàm latroni: quia illi impossibile erat sine succursu gratiæ excutere jugum passionum suarum, quæ prædominabantur in ipso.

Sicut

Sicut vg. tribus ferreis catenis vinctus in carcere, impossibile est, ut rumpat, frangat aut dissolvat compedes sine serra, sine malleo, aut aliquo alio instrumento.

29. Et sic quæcunq; malefacta objicies latroni; etiamsi ille furtivis artibus spoliasset omnia gazophylacia Ecclesiarum; etiamsi surripuisset omnes thesauros principum, etiamsi trucidasset omnes homines, in principiis Quesnelli esset irreprehensibilis.

Quoniam verò præter reprehensiones plus est illi factum, ideo ex eodem principio Quesnelli, Judices, qui eum morte damnârunt, in conscientia tenentur retractare suam sententiam & honorem illi restituere.

En habes evidentem demonstrationem, quòd sceleratissimus latro per gratiam Quesnelli est omnino liber ab omni culpa & pæna, adeoq; nulla reprehensione est dignus.

Jan.

32. *Theolog.* Sine dubio: quia illius lumen nihil aliud fuit juxta Quesnel-lum, nisi tenebræ, & ratio nihil aliud nisi aberratio.

Jansen. Si carentia gratiæ facit hominem fatuum, nihil habeo, quòd amplìus dicam.

33. *Theolog.* Convenite igitur inter vos, utrum carentia gratiæ faciat hominem fatuum.

Jansen. Sed scis mi Pater, quòd etiam absente gratia, manet in corde aliquis ardor bene sentiendi: adeoq; hic ardor potuit hominem retinere à prolapsu in tot crimina vg. ex motivo perdendi honorem & bonam famam.

34. *Theolog.* Ey fi! nequaquam manet! quia *voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet ardoris nisi ad se præcipitandum*, ut enuntias eadem prop. 39.

Jansen. Quid ergo? Nunquid homo destitutus gratiâ evadit non simpliciter fatuus, sed talis fatuus & amens, ut opor-

oporteat eum ligare, ne se præcipitet? sed tamen habet vires naturales voluntatis suæ, ne se præcipitet.

35. *Theolog.* Nequaquam habet: quia juxta Quesnellum *nihil habet virium, nisi ad se vulnerandum.* Revolve iterum considerate 39. propositionem tui Doctoris: *Voluntas, quam gratia non prævenit nihil habet luminis, nisi ad aberrandum: ardoris, nisi ad se præcipitandum: virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

Jansen. Mirabile dogma: Peccator *nihil habet luminis, nihil ardoris, nil virium,* & quod est maximum, nihil habet gratiæ. Certè non intelligo Quesnellum: nullum enim relinquit medium peccatori, per quod resurgere possit.

36. *Theolog.* Nunquid ergo non jure merito damnatæ sunt propositiones Quesnelli? Sed redeamus ad sceleratum latronem. Nunquid ille ex principiis Quesnelli potuit resistere suæ passioni,

 qui

qui non habuit neq; lumen, neq; bonum judicium, hoc enim per ardorem intelligit, neq; vires, neq; adjutorium gratiæ ad resistendum tentationi?

Sole clarius est, quòd illi deerant omnia auxilia Divina & humana ad resistendum tentationi, & longé magis ad eam superandam & vincendam. Post hæc: fatere, quòd in principiis Quesnelli dictus latro erat homo inculpabilis, & irreprehensibilis.

Jansen. Jam incipio dubitare, an is tam reprehensibilis fuerit, ut putavi? Adhuc tamen potest dici, quòd fortè ex culpa illius defuit ei gratia Divina. Quod si ex culpa illius gratia ei non est data, sibi imputet, quod factus est reus omnium reliquorum scelerum, quæ commisit absente gratia.

37. *Theolog.* Quomodo potuit fuisse illius culpa? nunquid ille erat Dominus gratiæ?

Jansen. Et quis scit? fortè ille abusus est

est gratiâ DEI tunc, quando illam habuit: & sic in pœnam abusûs istius, subtraxit DEUS ulteriores gratias.

38. *Theolog.* Mi Domine, aberras à maximo Doctoris vestri principio. Potuitné ille abuti gratiâ, quæ est ex natura sua *invincibilis*, *utpote operatio voluntatis omnipotentis*, & quæ *ipsa operatur in corde obedientiam, quam petit.* Lege propositionem 15. Quesnelli, quæ sic se habet.

Quando DEUS mandatum suum & suam æternam locutionem comitatur unctione sui spiritus, & interiori vi gratiæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.

Juxta hoc principium, homo non potest abuti gratiâ DEI. Quando is habet gratiam, necessariò operatur benè, nec potest operari malé: & è contra, quando illi deest gratia, ille necessariò operatur malè, nec potest operari bené. Hæc duo principia ab omnibus Jansenistis sunt recepta, & manifestè fluunt ex dictis.

Unde facilè est concludere, quòd præfatus homo, quando habuit gratiam, non potuit abuti gratiâ, & consequenter quòd ille non habuit gratiam, non ejus culpa fuit, sed ausim dicere ipsius Dispensatoris gratiarum suarum.

Jansen. Si ita est, tunc Judices erant injusti & crudeles, ferendo sententiam mortis crudelissimæ in hominem, quem nec ipse DEUS poterat reprehendere sine læsione suæ justitiæ.

39. *Theolog.* Ita est secundùm principia Quesnelli: sed secundùm principia Catholicorum Judices actum justitiæ exercuerunt, & fecerunt id, ad quod ex munere suo obligantur. Nam suppositâ doctrinâ Ecclesiæ Catholicæ, quæ docet, quòd nulli gratia DEI deest, & illa nullo modo est invincibilis, utpote talis, cui homo resistere possit, si velit, homo in tantum est reus criminis, in quantum gratiæ DEI restitit. Subsumo: Noster sceleratus habuit gratiam

tiam DEI retrahentem à malo, incitantem ad bonum, sed ei restitit, adeoq; inexcusabilis factus est tam coram DEO, quàm coram hominibus.

40. In sistemate autem Quesnelli totum contrarium est: nam ut iterum repetam, præfatus sceleratus vel habuit gratiam prævenientem vel non habuit? si habuit gratiam, ille non potuit committere scelera, quæ illi objecta sunt coram judicibus. Si non habuit gratiam, ille non potuit vincere tentationem, quæ sine gratia victrice vinci non potuit. Et sic in sistemate Catholico, ille meruit omnino ad minimum rotam; in sistemate autem Quesneliano, nec auris ei potuit abscindi sine læsione justitiæ.

Jansen. Ad incitas me redigis mi Pater! Nihilominus adhuc habeo, quod tibi opponam: Dictus latro licèt non habuerit gratiam Divinam, adhuc tamen fuit liber: sive habuit libertatem humanæ naturæ propriam.

41. *Theolog.* Brevibus respondeo: Nequaquam in principiis Quesnelli fuit liber.

Jansen. Mirabile est/nunquid ex hoc, quòd latro non habuerit gratiam, sequitur hoc, quòd non fuerit liber.

42. *Theolog.* Ita est juxta vestrum Doctorem.

Jansen. Clariùs me explico per exemplum: quando furi dabatur occasio surripiendi clam centum aureos, nunquid non erat liber ad resistendum tentationi ad furandum?

43. *Theolog.* Omnino non erat liber juxta principia Quesnelli?

Jansen. Quare? peto.

Theolog. Quia resistere tentationi absq; dubio est bonum: jam autem juxta propositionem 38. Quesnelli: *Peccator non est liber, nisi ad malum sine gratia liberatoris?* Hæc est maxima tui Doctoris bene perpende eam.

Jansen. Per DEUM immortalem? *Peccator*

cator non est liber, nisi ad malum sine gratia liberatoris! Egomet subsumere debui minorem: sed fur fuit peccator. Ergo non fuit liber nisi ad malum:& consequenter necesse illi fuit, ut surriperet furtò centum aureos nemine vidente. Certè vel oblitus fueram hujus propositionis, vel non bene terminos ejus apprehenderam, cúm minor contineatur in majore tanquam pars in toto, seu tanquam particularis propositio in universali.

44. *Theolog.* Ah quantum damnum tibi intulisti, quòd oblitus fueris hujus dogmatis tam utilis & tam commodi ad quotidianam praxim: cujus beneficio nullum est in mundo crimen, quod non possit sine remorsu conscientiæ committi. Quia quilibet peccator commisso crimine, habet jus sibi dicendi: non eram liber, *nisi ad malum.* En quàm commodum & quam conducens ad praxim principium Quesnelli?

Jansen. Verissimè ego in hac opinione fui, quòd esse verè liberum, est posse indifferenter determinare se sive ad bonum, sive ad malum.

45. *Theolog.* Ita crediderunt antiqui Patres nostri, qui non ita profundè rimabantur secreta doctrinæ Christianæ; nunc autem novi Doctores Jansenius & Quesnellus profundiùs scrutando & rimando, detexerunt hanc veritatem, quòd ad esse liberi, sufficit potentia ad faciendum malum, sine libertate determinandi se etiam ad bonum si velit. Nunquid non pulchra detectio? nunquid non pulchra inventio rei hucusq; orbi incognitæ?

Jansen. Hæc detectio mihi est prorsus nova

46. *Theolog.* Certè & omnibus Catholicis omnino novum figmentum est. Quia in veritate, nonnè est hoc, evertere omnia principia lumine naturæ nota, prætendere, aut credere, quòd aliquis

quis liberè agat, quando ex duabus rebus unam necessario agit, non habens libertatem faciendi aliam?

Nihilominus hoc principium Doctoris vestri est admirabiliter aptum ad excusandum sceleratissimum latronem, & ad eum absolvendum ab omni culpa & pœna: quia *non erat liber, nisi ad malum*: hoc est non habens gratiam, ille volebat & faciebat necessario malum; nec potuit tam velle, quàm facere bonum. Nunquid hoc, non est tollere absolutè libertatem.

Jansen. Insistamus adhuc expressioni Quesnelli: *Peccator non est liber, nisi ad malum sine gratia liberatoris.* Hoc est: peccator sine gratia non est liber ad bonum, est tamen liber ad malum ita ut in libertate ejus sit eligere hoc potiùs crimen, quàm illud: quodsi potuit sic eligere, quare ergo tam malè elegit?

47. *Theolog.* Stantibus principiis Quesnelli, latro scelestissimus quomodo potuit eligere melius?

Janſen. Et quare non? Nunquid non potuit exempli gratiâ, decipere & defraudare in minoribus rebus pauperiores homines, non autem graſſari in publicis viis, ac neci dare viros & mulieres honeſtas & magnæ in mundo notæ.

48. *Theolog.* Quid dicis? mi Domine, nunquid neſcis propoſitionem 45. Quesnelli, quæ ſic ſonat: *Amore DEI in corde peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesq; ejus actiones corrumpat.*

Si cupiditas neceſſariò regnabat in corde latronis; igitur non erat potens aliquid facere præter id, quod regnatrix cupiditas præſcribebat. Quomodo igitur latro potuit ſe occupare nugis, defraudando pauperes nugivendulos, cùm regina cordis ejus cupiditas neceſſario eum trahebat ád aliquid ſolidum & lucroſum.

Janſen. Qualis argumentatio! nunquid omnes, *in quorum corde non regnat amor*

amor DEI, evadunt latrones noſtro ſcelerarato ſimiles?

49. *Theolog.* Sine dubio non omnes evadunt latrones: quia non omnes eandem habent cupiditatem. Variæ enim ſunt cupiditates: una eſt pacifica, altera turbulenta; una timida, altera audax; una obſequens aliorum voluntati, altera nociva, malefactiva, truculenta: una ſuſpirans ad honores, altera non reſpirans niſi in voluptatibus, deliciis, divitiis.

In particulari loquendo de noſtro ſcelerato, in ejus corde regnabat vehemens cupiditas divitiarum, quæ ſemel imperabat ei, ut excurreret in publicas vias ad ſpoliandos mercatorum currus, altera vice movebat eum ad inſinuandum ſe ſecretis Dominorum conſiliis, ſemper ad ſurripiendum aliquid, ut horologia aurea, annulos pretioſos &c. monilia. Talis ejus erat phantaſia, talis humor, *talis cupiditas, quæ regnabat in corde ejus, ex quo amor DEI non regnabat.*

50. Quomodo igitur hic infelix homo potuit resistere huic suæ reginæ cupiditati vel in una occasione, quandoquidem, ut vidimus suprà, *nihil habuit luminis, nihil ardoris, nihil virium*, nihil posset resistere suæ gratiæ, quâ adjutus posset resistere suæ reginæ cupiditati.

Vel igitur da illi alia lumina, alios ardores, alias vires, quàm illas, quas tribuit Quesnellus; vel concede, quòd sub imperio tam potentis reginæ cupiditatis, *nihil habuerit luminis nisi ad aberrandum*, in publicis viis; *nihil ardoris, nisi ad præcipitandum se* ad marsupia aliis præscindenda; *nihil virium, nisi ad vulnerandam* suam animam mille ictibus, spoliando & obtruncando miseros viatores:

En quæ sequuntur ex principiis vestri Doctoris! Unde infer, utrum dictus latro habuerit libertatem eligendi unum crimen præ alio; minus præ majore?

Jansen. Certè non habuit libertatem eligendi prædominante tam vehementi cupi-

cupiditate. Sed quæro, quare ille habuit hanc cupiditatem & non aliam.

51. *Theolog.* Mi Domine, risu dignam proponis quæstionem! maluissem, si ex me quæsivisses: cur hic latro gibbosus fuit potiùs à parte anteriore, quàm à tergo? Item quare habuit tale temperamentum, & non diversum? quia quis nescit, quòd quilibet nascitur cum sua cupiditate & inclinatione suæ naturæ sibi propria: uti cum suo humore, cum suo charactere particulari, cum sua complexione cholerica aut melancholica &c: quæ sunt effectus naturæ, & inveniuntur in nobis ante omnem deliberationem nostram independenter à nostra electione.

52. Hoc supposito, in quo omnes conveniunt, non debet esse quæstio, quare noster sceleratus habuit hanc cupiditatem & non aliam, quandoquidem natus est cum illa: sed quæri debet:

Quare huic cupiditati non restitit si po-

potuit? item quare non est conatus excutere jugum hujus dominæ cordis sui & non permittere ut prædominaretur in corde ipsius?

Jansen. Bene dicis mi Pater: tenebatur sceleratus id facere, & quare id non fecit?

53. *Theolog.* Sed quomodo id facere potuit, quando *amore DEI in corde ejus non regnante, necesse fuit, ut in eo carnalis regnaret cupiditas. Si fuit necesse*, quomodo potuit non permittere, ut ea regnaret?

Jansen. Curandum ei erat, ut amor DEI regnabat in corde ejus, loco cupiditatis.

54. *Theolog.* Bene quidem dicis, Sed ad curandum hoc, requiritur gratia, quæ peccatori deerat: adeoq; sine gratia non potuit curare.

Jansen. Jam transeat antecedens, quod *amore DEI in corde peccatoris non amplius regnante necesse sit, ut in eo regnet cupi-*

cupiditas: Potuit tamen peccator huic reginæ non obedire.

55. *Theolog.* Sed quomodo id potuit? si necesse fuit, ut in eo regnaret cupiditas: ergo necesse fuit, ut ei obediret: quia regnare est habere jus & potestatem sibi obediendi. Et in hoc sensu omnes Quesnellistæ semper intellexerunt hanc propositionem.

Hoc supposito: Quid noster sceleratus potuit facere, ut posset se defendere ab omnibus criminibus, quæ commisit? 1. *necesse* fuit illi habere cupiditatem, quæ illum incitabat ad latrocinia: quia natus est cum hac inclinatione naturæ. 2. *Necesse fuit*, ut hæc cupiditas *esset* in illius corde. 3. *Necesse fuit*, ut illa in corde illius *regnaret*, quia amor DEI in corde ejus non regnabat. Ergo necesse fuit, ut huic Dominæ obediret in omnibus & semper, & consequenter necesse illi fuit ut cæco impetu sequeretur ejus imperium.

His

His ſtantibus, quale fuit crimen hujus miſeri hominis, quando hoc malum fuit illi tripliciter neceſſarium? eſtné itaq; culpandus, quòd hoc malum non evitaverit?

Janſen. Cogor fateri, quòd dictus latro *etiam ad malum non fuit liber*. Sed quid vult dicere Queſnellus tali expreſſione: *Peccator non eſt liber, niſi ad malum?*

56. *Theolog.* Nunquid non vides, quòd in his terminis ſit æquivocatio, quâ Queſnellus aſtutè texit deſtructionem totalis libertatis humanæ, quæ invenitur in ejus ſiſtemate. Ille novit bene, quòd totus mundus conſurgeret contra eum, ſi ſpoliaret eum tam pulchro privilegio, quale eſt libertas arbitrii humani; proprerea uſus eſt artificio ſimillimo, quô utebatur fur noſter, qui ſe tam cautê inſinuabat in conſeſſus Dominorum, & illis tam artificiosé ſurripiebat aurea horologia, & alia pretio-

pretioſa monilia, ut crederent ſe ea adhuc habere.

Janſen. Quis ſiluto credet? ego ſentio, me convictum in hoc, quòd ibi non ſit ampliùs libertas; ubi voluntas victoriosé trahitur & determinatur ad aliquam actionem per allicium aliquod inſuperabile.

57. *Theol.* Jam ergo intelligis Queſnellum. Nunc redeamus ad proceſſum juris in cauſa noſtri ſcelerati. Vides eum abſolutè ſpoliatum ſua libertate! ille non erat liber ad bonum, ut docet Queſnellus; nec etiam liber erat ad malum, ut tu jam conceſſiſti. Pro quo igitur fuit ille condemnatus ad rotam? nunquid defectus libertatis non fuit ſufficiens titulus ad eum abſolvendum ab omni pœna?

Janſen. Ah ita intricatus ſum, ut non videam modum extricandi me ab hac perplexitate.

58. *Theolog.* Interim, quæro te ulterius

terius. Si homo delirus seu fatuus, aut etiam in febri calida mente captus, arrepto pugione occideret aliquem, nunquid defectu libertatis non excusaretur à supplicio? sine dubio excusaretur. Oportuit igitur pariter excusare nostrum sceleratum propter defectum libertatis; vel ad summum oportuit illum claudere cum fatuis in aliquo hospitali.

Jansen. Oh, oh! oh! Publicum latronem claudere cum fatuis! perbella pœna! Dolenda res est, quòd Judices non consuluerint nostrum Doctorem Quesnellum!

59. *Theol.* Rides! & tamen in principiis vestræ doctrinæ, ut aitis, *moralis severæ & rigidæ*, prædictus latro non merebatur majorem pœnam: in principiis autem doctrinæ Molinistarum, quam perhibetis *esse laxam*, merebatur supplicium, quod subiit: quia secundùm hanc doctrinam, quæ est simul doctrina totius Ecclesiæ

Catho-

Catholicæ, peccator est semper liber ad faciendum bene & malè, & habet præstò auxilium gratiæ Divinæ excitantis, adjuvantis libertatem humanam, ut faciat cum ejus adjutorio bonum, & evitet malum. Unde evidenter sequitur prædictum sceleratum, qui tanta perpetravit crimina, cum illa potuisset vitare, justè affectum esse tanto supplicio. Vides sistema Molinistarum & simul Catholicum, quàm est conforme rationi, & quàm difforme Quesnellianum!

Jansen. Sed adhuc habeo, quod tibi opponam. Quæro enim ex te: Nunquid carentia libertatis in latrone non proveniebat ex amissione gratiæ?

60. *Theolog.* Ita tenet Quesnellus.

Jansen. Bene est! jam vincit noster Doctor: quia si dicto latroni restituta fuisset gratia, ille recuperâsset potentiam faciendi bene? nunquid hoc non est verum.

61. *Theolog.* Verum est, quod restitutâ

tutâ sibi gratiâ, latro recuperâsset potentiam faciendi bene; sed juxta Quesnelli principia, tunc illi impossibile fuisset operari malè.

Jansen. Hoc ego expectavi responsum. Quare ergo ille non oravit DEUM, ut restitueretur illi hæc gratia, quâ adjutus haberet potentiam operandi bonum, & non haberet potentiam operandi malum.

62. *Theolog.* Quæris, quare ille non rogavit DEUM hanc gratiam? nunquid velles, ut ille committeret novum peccatum? nonne sat multa erant, quæ illi objiciebantur?

Jansen. Quid vis dicere: committeret novum peccatum?

63. *Theolog.* Ita est, committeret novum peccatum orando DEUM, ut ei restitueret suam gratiam.

Jansen. Insanis, mi Pater!

64. *Theolog.* Si aliquis insanit, tunc insanit vester Doctor Quesnellus, qui prop.

prop. 59. clarè docet: *Oratio impiorum est novum peccatum.* Ex quo oraculo Quesnelli exurgit quartus titulus absolvendi latronis: Ille non habuit gratiam, & illam à DEO non poterat petere *sine novo peccato.* En novum Evangelium!

Jansen. Cum permissione nostri Doctoris, debuisset se resolvere ad hoc minus peccatum, ut evitaret majora.

65. *Theolog.* Hoc esset bene dictum, si oratio esset in potestate latronis: Interroga Quesnellum eratne latroni possibilis oratio? Respondet ille prop. 2. *Quid aliud remanet animæ, quæ DEUM, atq; ipsius gratiam amisit, nisi peccatum & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum.*

Quomodo igitur latroni possibilis fuit oratio, quando *in eo erat generalis impotentia ad orationem?* Et hic est quintus titulus justificandi latronem: nempe impossi-

possibilitas orandi : hoc est etiamsi orare DEUM non esset novum peccatum latroni, tamen non potuisset orare: quia in latrone *manebat generalis impotentia ad orandum.*

Jansen. Quare saltem non ivit ad Ecclesiam pro audienda missa: sola assistentia Sacrificio Divino, æquivaluisset orationi.

66. *Theolog.* Non debuit ire pro audienda Missa: quia Quesnellus graviter ei prohibuit. Quesnellus peccatori non concedit jus audiendi Missam, nisi post ejus conversionem: & hoc est decimum quartum Privilegium ejus, qui DEO reconciliatur. Lege propositionem 89. Quesnelli :

Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quód cùm sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificio Ecclesiæ.

Hâc stante doctrinâ, latro cùm nondum esset reconciliatus, nec die Dominico habuit jus assistendi Sacrificio Missæ.

Hinc judica, nonné debuit facere sibi scrupulum eundo die Dominico pro audienda Missa summa, quando ille non habuit jus assistendi Missæ privatæ seu lectæ.

Jansen. Ad risum me provocas Pater, quis examinasset eum, an habeat jus audiendi Missam an non ?

67. *Theolog.* Minus est de examine: Verùm ad minimum oportebat illi, ut posset acquirere jus ad audiendum Sacrum : sed quomodo illud potuit acquirere, cùm illi impossibile fuerit saltare ad decimum quartum gradum suæ conversionis, dum nondum staret in gradu primo ?

Jansen. Ut acquireret jus ad audiendam Missam, debuit laborare, ut converteretur.

68. *Theolog.* Quomodo debuit laborare, cùm *habuerit generalem impotentiam ad laborem.*

Jansen. En novam perplexitatem !

69. *Theolog.* Sed hoc est oraculum Quesnelli: quòd anima, quæ DEUM atq; *ipsius gratiam amisit*, *habet generalem impotentiam ad laborem.*

Jansen Et quid vult per hoc intelligi Quesnellus?

70. *Theolog.* Sine dubio vester Dector non intelligit de labore manuum: Tota penè Gallia vidit bene, quôd præfatus latro, etiamsi fuerit destitutus gratiâ, tamen potuit laborare manibus, & defacto laborabat diebus ac noctibus. Intelligendus ergo est loqui de labore spirituali & interiore in ordine ad conversionem. Quodsi ita intelligatur, quomodo vis ut latro laboret circa suam conversionem, *quamdiu habet impotentiam generalem ad talem laborem.*

Cæterûm hæc impotentia, quam exposui ad justificandum sceleratum non est ultima: adhuc tibi demonstrabo, quòd ille totus fuerit plenus impotentiis.

Jansen. Saltem mihi concede, quôd hic

hic scelestus potuit orare manè & vesperi: id modica res est.

71. *Theolog.* Sit modica res secundùm te, *orare mane & vesperi*: nihilominus ego tecum non convenio: quia jam demonstravi duo capita pro omni peccatore, *unum juris, alterum facti. Juris* quod interdicit peccatori orationem, ne committat *novum peccatum. Facti*, quod ipse Quesnellus vocat *impotentiam generalem ad orationem.* Quomodo ergo concedere tibi debeo, quòd dictus sceleratus in statu, in quo erat, potuit *orare mane & vesperi*, quando oratio ei *nec licita fuit, nec possibilis.*

Jansen. Quare ille non faciebat bona opera. vg. quare non largiebatur eleemosynam, quare non observabat jejunia, quæ Ecclesia præcipit, & Quesnellus non prohibet.

72. *Theolog.* Bona opera! jocinè id gratiâ dicis an serio? Visné eum in hoc

ſtatu exercere bona opera, in quo habet impotentiam & juris, & facti.

Janſen. Abjice hanc impotentiam juris & facti, dicas mihi clariùs: Quare dictus ſceleratus non potuit exercere bona opera in ſtatu peccati mortalis?

73. *Theolog.* Nec potuit, nec debuit juxta principia novæ Theologiæ.

Janſen. Quare non debuit?

Theol. Quia in principiis Quesnelli ille nullum potuit exercere opus bonum ſine admiſſione novi peccati.

Janſen. Oh: hac in re imponis calumniam Quesnellò: quia ille nunquam hoc docuit.

74. *Theolog.* Utiq; ipſemet conceſſiſti Quesnellum docere prop. 45 quòd *amore DEI in corde peccatorum non ampliùs regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesq; ejus actiones corrumpat.* Arripe hujus propoſitionis caudam, in qua latet totum virus, de quo agimus; quia *ſi neceſſe eſt, ut carnalis* cupi-

cupiditas omnes ejus actiones corrumpat: Ergo neceſſe eſt, ut corrumpat & bona opera: & conſequenter homo in ſtatu peccati mortalis tot perpetraret peccata, quot exerceret bona opera. Hoc enim per ly *corrumpere* intelligit Quesnéllus & omnes ejus Aſſeclæ.

Hoc principio ſuppoſito, noſter ſceleratus, non debuit jejunare, nec eleemoſynam dare, ne illi exprobraretur, quòd tot patraſſet *actiones corruptas*, quot ſolidos dediſſet pauperibus, & tot commiſiſſet peccata, à quot bolis cibi, aut à quot calicibus vini vel mulſi abſtinuiſſet. Idem dicendum eſt de aliis actibus pænitentiæ, & generaliter de omnibus bonis operibus. Non ſolùm ſceleratus noſter non tenebatur ea exercere, ſed potiùs obligabatur à bonis operibus abſtinere, *ne carnalis cupiditas in corde ejus regnans ea corrumperet.* Ecce quid ſequitur ex hoc Quesnelli dogmate? Plusné dixit Calvinus ad abolenda bona opera?

 Janſ.

Jansen. Ego verò cum veniâ Quesnelli & Quesnellistarum arriperem omnia opera bona facienda, & distribuerem omnes facultates meas in pauperes, & secederem in eremum, ut extraherer ex tam deplorabili statu.

75. *Theolog.* Mi Domine, sic dicendo, supponis, quòd posses id facere. Sed vester Quesnellus asserit, id fieri non posse: quia *quid aliud remanet animæ, quæ DEUM atq; ipsius gratiam amisit..... nisi generalis impotentia ad omne opus bonum?* adeoq; semel amissâ gratiâ per unum peccatum, incurritur *generalis impotentia ad omne opus bonum.*

Jansen. O miserum & deplorabilem hominem! Quare ergo non ivit ad confessionem? invenisset in Sacramento pænitentiæ remedium contra omnia sua mala.

76. *Theolog.* Ita quidem! sed per summam infelicitatem pænitentia Sacramentalis nostro scelerato inter omnia impos-

impossibilia impossibilissima erat: nempe impossibile ei erat, ire ad confessionem.

Jansen. Quare?

77. *Theolog.* Utrum nescis mi Domine, quia ad ritè confitendum, sunt ista tria necessária; *imo.* Ut seriò laboret in examinando conscientiam suam, quibus peccatis DEUM offenderit. 2. Ut deprecetur Divinam Majestatem eliciendo frequentes actus doloris de peccatis suis 3. Ut confiteatur sincerè peccata sua legitimo Sacerdoti cum vero desiderio & firmo proposito se corrigendi.

Jansen. Ita est: nunquid ista tria non potuit facere peccator?

78. *Theolog.* Omnino non potuit: quia juxta primam prop. Quesnelli, peccator amissa gratiâ *imo* non potuit laborâre se examinando, quibus peccatis DEUM offenderit: quia *habuit generalem impotentiam ad laborem.* 2do. Non potuit deprecari Divinam Majestatem eliciendo actus doloris: quia isti actus

essent oratio: ille autem *habuit generalem impotentiam ad orationem.* 3tio. Non potuit confiteri peccata sua cum vero & firmo proposito se corrigendi: quia hoc facere est sine dubio opus bonum: ille autem *habuit generalem impotentiam ad omne opus bonum*, consequenter habuit tres generales impotentias ad confitendum: unde sequitur quod non potuerit confiteri etiam semel in anno vg. circa Pascha.

Jansen. Quare? nunquid non potuit se resolvere ad confitendum peccata sua Sacerdoti? quodsi fecisset, fortè DEUS dedisset illi gratiam ad eliciendum dolorem & ad alia requisita ad salutarem pænitentiam.

79. *Theolog.* Secundùm eandem propositionem Quesnelli, peccator non potuit se resolvere: quia talis resolutio exigit fortitudinem & humilitatem: fortitudinem ad se pervincendum, & humilitatem ad se subjiciendum pedibus Sacerdotis.

Sacerdotis. Atqui *animæ, quæ DEUM atq; ipsius gratiam amisit*, nunquid restat fortitudo & humilitas? non, non! *sed superba paupertas & segnis indigentia* hoc est superbia & segnities seu pigritia: quæ duæ dispositiones essentialiter sunt contrariæ humilitati & fortitudini ac diligentiæ, & tamen juxta Quesnellum hæ dispositiones sunt insuperabiles sine gratia.

80. Unde sequitur conformiter ad principia vestri Doctoris, quòd peccator amissâ gratiâ evidenter non potuit exequi has duas res, quas tu à peccatore exigis: scilicet nec potuit ire ad confessionem, quia ad hoc necessaria est fortitudo, quam ille non habuit, cùm in illo *nihil aliud restaret nisi segnis indigentia*; nec potuit se humiliare ad pedes Confessarii, quia ad hoc necessaria est humilitas, quæ tamen in illo non restabat, *nisi superba paupertas.*

Ecce duæ novæ impotentiæ! quæ junctæ tribus prioribus, faciunt *quinq; genera-*

nerales impotentias, quas peccator habuit ad confitendum: hoc est loquendo magis Christiané, peccator amissâ gratiâ habet quinque obstacula absolutè insuperabilia ad confitendum. Hoc supposito, quomodo culpari potest peccator, quod non accedebat ad Sacramenta?

Jansen. O insolentia principia! quæ omnem praxim Religionis statim unam post aliam dissolvunt, scilicet, & orationem, & Missam & Sacramenta & bona opera. Habeo tamen adhuc, quod dicam: si dictus latro, secundùm principia Quesnelli non potuit bene vivere uti Christianus, quis eum prohibuit vivere honestè, & observare leges probitatis, ut decet honestum hominem?

81. *Theolog.* Quid? observare leges probitatis! Putasné, quòd Quesnellus permittat peccatori, qui gratiam DEI amisit, observare leges probitatis? nullo modo. Si peccator amissâ gratiâ auderet observare unam legem probitatis, sta-

statim, contra eum Quesnellus pronuntiaret decretum *condemnationis*!

Jansen. Quid dicis Pater? nunquid peccator amissâ gratiâ non potuit vg. amare suum Patrem, suam Matrem, suos amicos, suos concives?

82. *Theolog.* Non, non potuit eos amare. Quia Quesnellus hoc ei prohibuit sub pœna peccati mortalis.

Jansen. Ecce quid novi!

83. *Theol.* Audi ipsum Quesnellum loquentem, & videbis, utrum ego ei impono calumniam. Lege propositionem ejus 40. *Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem* subsumo. Sed nihil est coram DEO, quod nos ducat ad nostram condemnationem, nisi peccatum mortale. Ergo sine gratia nihil nos possumus amare sine commissione peccato mortalis: per consequens noster sceleratus amissâ gratiâ nec potuit amare suum Patrem, nec suam matrem, nec suos amicos, imò nec suam uxorem sine commissione peccati mortalis.

Jansen. Quid? Peccator non potuit amare suam consortem thori sine commissione peccati mortalis! audax dictum!

84. *Theolog.* Audax dictum! Sed hoc dictum est dogma vestri Doctoris. *Peccator nihil potest amare,* adeoq; neq; suam consortem thori, *nisi ad suam condemnationem.*

Jansen. Sed fœminæ nolunt se accommodare huic principio.

85. *Theol.* Sed oportet, ut se accomōdent, seu ut se conforment huic principio: quia hoc fundatum est in altero famoso principio propos. 45. quam jam citavi: scilicet: *Amore DEI in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesq; ejus actiones corrumpat.* Hoc est: antequam maritus amet conjugem suam, oportet ei, ut priùs examinet conscientiam suam, & videat, utrum, *amor DEI regnet in corde suo:* quia si amor DEI non regnat in corde ipsius, evidens est per

hoc grande principium, quòd ille amiserit jus amandi suam conjugem: quia illius amor, licet aliunde legitimus, *corrumperetur per carnalem cupiditatem,* & deveniret illegitimus, & consequenter illicitus.

Jansen. Non miror jam, quòd dictus sceleratus non amaverit suos concives, quando quidem in eo statu, in quo erat, non potuit amare etiam suam conjugem sine peccato.

86. *Theolog.* Vides, quò principia tui Doctoris ducunt? Ex quibus hoc adhuc sequitur *vg.* si dictus sceleratus obvius factus uni pauperi viatori, illi reliquisset ex compassione & commiseratione aliquot solidos, quos habuit in sua bursa, clarum est, quòd peccâsset: item si ex motivo famæ suæ conservândæ reddidisset depositum suo depositori, commisisset alterum peccatum: item si bona fide in lusu abstinuisset à decipiendo collusore? commisisset tertium

peccatum & sic de cæteris. Ratio est: *Quia amor DEI in corde ipsius ampliùs non regnabat*, & in hoc statu ille *nihil ampliùs potuit amare, nisi ad suam condemnationem*, nec potuit quidquam facere, quod *non sit corruptum per carnalem cupiditatem*.

Et sic afflictum solari ex motivo humanitatis, pauperi subvenire ex motivo commiserationis, restituere debitum suis creditoribus, parcere suis concivibus, servire patriæ, amare suum Regem, servare vitam suo Patri, quanta abyssus peccatorum misero homini gratiâ DEI destituto!

Jansen. Quid mi Pater, dicis? Nunquid videndo suum Patrem mergi in fluctibus maris aut fluminis, si destitutus gratiâ Divinâ filius projiciat se in flumen aut mare, & nando Patrem suum extrahat ex fluctibus, salvetq; vitam ejus, per hoc peccabit?

87. *Theolog.* Ita decernit vester Doctor: *Amore DEI in corde suo non regnante*, si hoc fecerit, faciet id ad suam *condemnationem*.

Jansen. Ah quam abominabile dictum!

Theolog. Vides, quòd secundùm Quesnellum ad dispensandum se ab omni opere bono, nihil aliud est opus, quàm se sentire esse privatum gratiâ DEI. Nunquid talis status non est commodus peccatori?

Jansen. Potiùs dicere debuisses: Ah talis status, quàm sit horrendus, quàm deplorandus! Ego videbo Patrem meum mergi aquis, & si ego tum in statu peccati mortalis, non possum ei succurrere, quin ista actio mea tendat *ad meam condemnationem*? potestne id sustineri?

88. *Theolog.* Vides, quid sit, non habere in corde suo amorem DEI? Nam alio loco, scilicet propos. 48. vester Magister docet: *Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio & nisi peccatum sine fidei lumine, sine Christo & sine charitate.*

No-

Nota bene hunc terminum *nisi peccatum*: & vide, utrum Quesnellus vel semel aberrat à suo principio?

Jansen. Ego sum addictissimus servus Quesnelli, & tamen nec ego, nec fortè ullus datur homo honestus in terris, qui velit in praxi sequi tales maximas, seu talia principia.

89 *Theolog.* Non sequaris talia principia, ut placet: nihilominus si noster sceleratus secutus est has maximás, tunc nullus Quesnellista poterit illi irrogare crimen, vel ad minimum semper poterit verè dicere, quòd ille plenè sit justificatus per Quesnellum.

Jansen. Quandoquidem huc devenimus, pergamus ulteriùs, donec perveniamus ad terminum.

90. *Theolog.* Quid vis ampliùs? si dictus sceleratus sequendo principia Quesnelli non potuit vivere nec tanquam bonus Christianus, nec tanquam honestus homo: ergo nec Christianè, nec honesté debuit vivere, Jan-

Jansen. Adhuc video modum, per quem sceleratus potuit resipiscere, quo quia non est usus, evasit culpabilis.

91. *Theolog.* Quis iste modus est?

Jansen. Hic est: Potuit hic sceleratus accedere ad aliquem ex honestis viris, vg. ad unum ex nostris Jansenistis, qui per suas sapientes remonstrationes disposuisset ejus cor ad mutationem vitæ.

92. *Theolog.* Quid si accessisset ad te ipsum; quid illi dixisses ad ejus tangendum cor?

Jansen. Ego illi repræsentâssem miserum ejus statum; postea exhortatus eum fuissem omnibus possibilibus motivis ad mutationem vitæ; deinde adjurassem eum per ipsummet JESUM Christum.

93. *Theolog.* Quid si tibi sceleratus respondisset: Quid vis, ut ego mutem vitam meam, cùm *ipse JESUS Christus non desideret* hanc mutationem?

Jansen. Ego illi replicuissem: audesné pronuntiare tantam blasphemiam? 94.

94. *Theolog.* Sed ille iterum tibi respondisset: ita est, JESUS Christus nullo modo desiderat mutationem vitæ meæ. Consule vestrum Doctorem, ille tibi dicet propos. 51. quòd *desideria Christi semper habent suum effectum.* Sed in me nullum video effectum, de quo loqueris: quia neq; cogito de mutatione vitæ: Ergo apparet; quòd Christus eam non desideret. Et sic non est blasphemia, dicere, quòd Christus non desiderat mutationem vitæ meæ. Vel si est blasphemia, tunc Quesnellus blasphemat.

Jansen. JESUS Christus omnino desiderat mutationem vitæ tuæ, quia DEUS illam præcipit.

95. *Theolog.* Quid si sceleratus respondisset: DEUS mihi præcipit mutationem vitæ! ego non credo.

Jansen. Quid dicis? Nunquid non præcipit tibi ut serves ejus mandata?

96. *Theolog.* Respondisset tibi sceleratus:

ratus: Nequaquam mihi præcipit: nec fieri hoc potest, ut DEUS sapientissimus & justissimus præcipiat servanda sua mandata, quæ scit mihi esse impossibilia.

Jansen. Quare tibi sunt impossibilia.

97. *Theolog.* Respondisset sceleratus: quia deest mihi gratia: *& sine gratia voluntas est incapax ad omne bonum* ut Quesnellus dogmatizat prop. 39. & propos. 38. *Peccator sine gratia non est liber, nisi ad malum.*

Nonne hoc est vestrum Credo? Certè hoc est Symbolum Jansenistarum.

Jansen. Saltem ad minimum serva mandatum quintum: *Non occides* & septimum: *Non furtum facies.*

98. *Theolog.* Sceleratus respondisset: Ah quomodo vis, ut observem vel unicum præceptorum Divinorum, quamdiu *in anima mea remanet generalis impotentia ad omne opus bonum, & quamdiu* voluntas mea est incapax ad omne bonum. Nunquid servare unicum solùm mandatum DEI non est bonum *Jan-*

Jansen. Fac ad minimum aliquem conatum.

99. *Theolog.* Respondisset sceleratus: Ah qualem conatum? Vel levissimus conatus mihi esset maximus labor: *amissâ autem gratiâ nunquid non habeo generalem impotentiam ad laborem?* hic est articulus primus vestri Catechismi! Ecce vides me, teste vestro Doctore, constitutum *in generali impotentia* ad faciendum vel minimum conatum, & consequenter in impotentiá generali ad observandum vel unum præceptum DEI.

Jansen. Abjice tuas ratiocinationes, & invoca DEUM, ut tibi succurrat.

100. *Theolog.* Respondisset sceleratus: Sed nunquid nescis, *quod habeo generalem impotentiam ad orationem.* An opus est ut revocem tibi in memoriam omnes impotentias Quesnelli? Quamdiu mihi deerit gratia, etiamsi zelosissimi Concionatores totius mundi à manè ad vesperam prædicaverint Verbum DEI, ego tem-

tempore sermonis eorum, vel dormiam, vel præscindam marsupia auditorum. Hæc, hæc sola mihi restat potentia in medio tot impotentiarum.

Jansen. Sed tu audacter decidis, quòd non habeas gratiam: quis tibi hoc dixit?

101. *Theolog.* Respondisset sceleratus: Hoc mihi dixit vester Doctor Quesnellus propositione 15. *Quando DEUS mandatum suum & suam æternam locutionem comitatur unctione sui spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.* Et prop. 8. *Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod DEUS nobis præcipit.* Et propos. 11. *Gratia non est aliud, quam voluntas omnipotentis DEI jubentis & facientis, quod jubet.*

Nunc vide, utrum DEUS, aut gratia ejus operatur in me obedientiam & mutationem vitæ, de qua tu loqueris? Putasne

tasné me nunc esse minùs dispositum ád continuandum meum artificium? Crede, mihi, nec me ulteriùs preme: quia ego tam solidis argumentis probabo me non habere gratiam DEI, ut tu firmissimé assentiatis.

Jansen. Mi amice, hæc est induratio cordis, quæ rectà te ducit ad infernum.

102. *Theolog.* In persona scelerati. Ah scio bene! hoc, hoc est, quod me timore ac tremore concutit! Sed hæc est mala cogitatio, quam ego pro posse rejicio, & à me repello.

Jansen. Quid dicis? mala cogitatio! è contra: illa potest te juvare ad emergendum ex abysso peccatorum, cui immersus es. Quando non potest aliquis agere ex amore, necesse est, ut recurrat ad timorem.

103. *Theolog.* In persona scelerati: Nunquid vis, ut ego evadam Judæus?

Jansen. Quare deberes evadere Judæus?

Theol.

Theol. Nunquid nescis, quod docet Quesnellus prop. 62. *Qui a malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram DEO.* Si hoc est verum, uti apud Jansenistas est verissimum; ex hoc capite possum ulteriùs procedere, hoc est possum in corde meo continuo malum committere, & reum me facere coram DEO.

Sed quando Quesnellus ulteriùs docet prop. 63. *Quod baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.* Ah propterea non possum me resolvere, ut fiam Judæus: satis mihi est, quòd sim fur & latro.

Jansen. Quandoquidem tibi desunt alia motiva, permitte, te agi timore: hic timor non cedet tibi malé.

104. *Theolog, Pro scelerato:* Vis ergo me redigere ad conditionem bestiarum? quia nunquid nescis, quod docet Magister vester Quesnellus prop. 66. *Qui vult*

vult DEO appropinquare nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neq; adduci per instinctum naturalem, aut per timorem sicuti bestiæ, sed per fidem & amorem sicuti filii.

Et in hoc statu meus certè est deplorabilis: quia *ex una parte* non habens gratiam, evidenter non possum me abstinere à criminibus ex motivo amoris DEI; *ex altera parte* Quesnellus mihi prohibet abstinere à peccatis ex motivo timoris sub pæna faciendi me aut Judæum aut bestiam. Et sic nescio, quid debeam facere? quia nec volo esse Judæus, nec bestia.

Jansen. Desine audire Quesnellum, ausculta me, & abstine a peccatis saltem ex motivo timoris: per hoc nihil quidem tu lucraberis apud DEUM, sed res publica multum lucrabitur.

105. *Theolog. Pro scelerato.* Intelligo! Ergo tu vis, ut ego in corde habeam omnem iniquitatem scelerum meorum, sine

sine ullo meo lucro? Oh non sum tam stultus!

Jansen. Habebis etiam lucrum, si non in cælo, saltem in terra.

Theolog. Quale?

Jansen. Evitabis rotam: Nunquid hoc est parum?

106. *Theolog.* Rotam! En pulchrum motivum ad mihi incutiendum timorem!

Jansen. Et quare non pulchrum? Tu nescis, quòd hoc ipso tempore, quo loquimur, quærunt te Apparitores per domos & plateas, ut te rapiant ad Tribunal Judicum!

107. *Theolog.* In persona scelerati: Non, non! nunquam me metus injustæ pænæ absterrebit ab exercendo meo artificio.

Jansen. Dicis injustæ pænæ! in quo esset injusta?

Theologus pro scelerato: Facilis est responsio ei, qui scit doctrinam Quesnelli.

nelli. Quia juxta 2. ejus propos. *absque gratia non solùm nihil fit, sed nec fieri potest.* Hoc principio stante, evidens est, quòd non sit in mea potestate exercere aliud artificium. Unde ego concludo: quòd nullus me potest culpare, & longè magis nullus me potest punire sine extrema injustitia.

Jansen. Ergo te ipsum facis Judicem justæ aut injustæ pænæ? o præclarum judicem! in veritate convenit tibi hoc munus!

108. *Theol.* Et quare non? Quesnellus suos discipulos fecit judices justæ vel injustæ pænæ spiritualis, & quare ego non potero me facere judicem justæ vel injustæ pænæ temporalis? Auctoritas, quæ me condemnabit estné magis infallibilis, quàm illa, quæ Quesnellum condemnavit?

Jansen. Disparitatem quidem non video: Sed hinc sequitur, quòd abhinc quilibet particularis homo erit judex Judi-

Judicum. Et si prætendis esse judex Judicum; est tamen unus supremus Judex in cælis, quem tu non judicabis, & cujus justitiam pertimescere debes ab hoc momento, si eum non placaveris per actum contritionis.

109. *Theolog. pro scelerato.* Et de quo deberem conteri? an de bono, quod omisi? sed illud ego non potui facere. An de malo, quod commisi? sed & hoc non potui evitare.

Jansen Potuisti.

110. *Theologus pro scelerato.* Certè non potui: quia juxta doctrinam Quesnelli, ego nec potui facere bonum, nec vitare malum, nisi per gratiam *invincibilem*, quæ mihi deerat. Quando autem aliqua res non est possibilis nisi per unum modum, qui mihi deest, & illum habere non possum; talis res, utrum non est verè impossibilis?

Jansen. Relinquamus hanc materiam. Hortor te: cape saltem in futurum, bonam resolutionem.

111. *Theolog.* Et qualem, pero, ego capiam resolutionem? Possumné ego promittere DEO, quòd me corrigam, & mutabo vitam meam, quando nescio, utrum habebo ejus gratiam.

Loquere mihi, quomodo instruebamur ab infantia, quòd gratia DEI præveniens nulli deest, quòd homo commisso quocunq; peccato, semper est liber ad non committendum aliud novum peccatum; quòd homo etiam in statu peccati mortalis potest orare DEUM non onerando conscientiam suam *novo peccato*, quod possit ire ad Missam, facere bona opera, observare leges probitatis sine timore, ne carnalis cupiditas corrumpat omnes actiones, quod possit aliquid licitè amare, quod non *tendat ad ejus condemnationem*: tunc mihi personaliter applicando hæc principia, potero formare aliquas resolutiones. Si non? tunc non ægrè feras, quòd ego me dispenso ab omni resolutione.

Jan-

Jansen. O ingratè! Itané amas DEum?

112. *Theolog.* Pro scelerato: Possumné ego amare DEUM, quem Quesnellus tam odiosum depingit, ut faciat eum detestabilem. Certé ego vestram linguam non intelligo: Vos omnes Jansenistæ semper habetis in ore amorem DEI, si credere fas est Quesnello: propos. 56. *Charitas sola DEUM honorat.* prop. 54. *Sola Charitas est, quæ DEO loquitur, eam solam DEUS audit.* Prop. 26. *DEUS non remunerat, nisi solam charitatem.* prop. 55. *DEUS non coronat, nisi charitatem: qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit.* Et prop. 58. *Nec DEUS est, nec religio, ubi non est charitas* timorem autem DEI omnino eliminatis, excluditis, repellitis.

Hisce tamen stantibus DEUM facitis tyrannum, qui præcipit impossibilia, & adhuc non contentus præcepto, immisericorditer punit eos, qui non sunt executi impossibilia. Talis DEUS potestné

 ama-

amari? Crede mihi, quód tales ideas de DEO imprimendo menti meæ, nunquam mihi persvadebis, ut ego eum amem.

Jansen. Quare non? Nunquid illius infinitæ perfectiones non sufficiunt ad persvadendum tibi ut eum ames? Nunquid DEUS non est semper Sanctus, supreme justus, infinitè misericors?

113. *Theolog.* DEUS Christianorum talis est: DEUS verò Quesnelli, nec sanctus nec justus, nec misericors est. Quod facile probo ex principiis ipsiusmet Quesnelli.

Nam *imo* quomodo in DEO est *Sanctitas*, cùm sciens nos non posse sine gratia ejus, servare mandata ejusdem, tamen negat nobis suam gratiam: nonné hoc est, seipsum reddere auctorem & complicem nostræ inobedientiæ? quomodo igitur sanctus est?

2do Quàm insolens justitia est, damnare majorem partem hominum propterea, quòd ob defectum gratiæ non serva-

servaverint ejus mandata, quæ sine gratia ejus servare, erat eis impossibile. Nonné hoc est damnare eos in pœnam, quód eis non dederit gratiam, sine qua non potuerunt servare mandata? Et, hocné est justum? Quòd si in DEO Quesnelli nec est *sanctitas*, *nec justitia*, longè magis non est in eo *misericordia*.

Jansen. Oh non tangas misericordiam DEI! quia scis, quanta Christus passus est ex misericordia pro hominibus!

114. *Theolog.* Ita est Christus passus est pro hominibus: sed pro quibus? *pro Electis tantum*, excludendo omnes alios, ut expressè docet Quesnellus in illa præclara propositione n. 32. damnata: *JESUS Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sangvine de manu Angeli exterminatoris.* Quos? an omnes homines? an omnes filios DEI? non, non; sed *primogenitos, id est electos*, ut ipsemet explicat.

115. *Theol.* Nunc dico nomine scelerati

lerati: mi Domine, credisné bona fide, quòd ego possim gloriari, me esse unum *ex numero primogenitorum*, quando mihi Quesnellus prohibet dicere meum *Pater noster* propos. 50. *Frustra clamamus ad DEUM, Pater mi, si Spiritus charitatis non est ille, qui clamat.* Item possumné ego sperare, me esse in numero *primogenitorum*, quando idem Doctor vester declarat in terminis propriis, quòd ego *nec DEum habeo pro Patre, nec Christum pro capite*: ita enim sonat ejus propositio 77. *Qui non ducit vitam dignam Filio DEI, & membro Christi, cessat interius habere DEUM pro Patre & Christum pro capite.*

Subsumo: Atqui ego defectu gratiæ non duco vitam dignam Filio DEI, & membro Christi: quomodo ergo possum sperare Privilegium *primogenitorum*, quando Quesnellus me non computat etiam inter *Cadetos*, seu inter *minorennes* filios DEI, cùm neget DEUM esse meum Patrem?

Jansen. Infer tibi sanctam violentiam & benefacies, etiamsi nesciveris, te esse unum ex numero electorum.

116. *Theol.* pro scelerato. Quodsi non sum unus ex numero electorum, uti magnam probabilitatem habeo ex eo, quod semper mihi DEUS victricem ác invincibilem deneget suam gratiam; tunc Christus non est pro me mortuus: quia mortuus est tantúm pro *primogenitis, id est electis*: consequenter quidquid fecero, actum est de salute mea. Si ita est, ad quid debeo inferre mihi violentiam, de qua suo tempore dolere deberem, quòd & meum tempus & operam perdiderim.

Jansen. Video bene, quòd non habeas fiduciam in Christo Domino!

117. *Theolog.* Respondet tibi pro me, ipsemet tuus Magister Quesnellus prop. 33. *Proh quantum oportet, bonis terrenis & sibimetipsi renuntiásse ad hoc, ut quis fiduciam habeat appropriandi Christum*

ſtum JESUM, ejus amorem, mortem, & myſteria, ut facit ſanctus Paulus dicens: qui dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me.

Si perfectiſſimi homines non poſſunt gloriari, quòd Chriſtus pro eis ſit mortuus; quomodo vis, ut ego habeam fiduciam in Chriſto JESU? Ego qui non tantum mihi & bonis terrenis non renuntiavi, ſed etiam multa aliena artificiosè ſublata retineo!

Janſen. Oportet tamen ſperare: quia DEUS virtutem ſpei nobis præcipit.

118. *Theol.* Oportet ſperare, & quid? fortè hoc, quòd DEUS me ſalvabit? ſed nonne hoc eſt contra principium Quesnelli, qui docet, quod DEUS non vult omnes homines ſalvare. Lege propoſitionem ejus 12. *Quando DEUS vult ſalvare animam, quocunq; tempore, quocunq; loco, effectus indubitabilis ſequitur voluntatem DEI.* & prop. 30. *Omnes quos DEUS vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.*

Hoc

Hoc poſito, ſic argumentor pro modulo ingenii mei: *Si omnes, quos DEUS vult ſalvare, ſalvantur infallibiliter,* tunc non vult DEUS omnes homines ſalvare: quia de fide eſt, non omnes homines ſalvari. Hoc ſuppoſito, quomodo vis, ut ego ſperem? ſi ego ſum de numero eorum, quos DEUS non vult ſalvare, mea ſpes in quid redigetur?

Janſen. Sed in hac incertitudine ſortis noſtræ, oportet ire ſecuriore via, ut ipſum lumen rationis dictat.

119. *Theologus* in perſona ſcelerati: Ego fruendo bonis terrenis, quæ habeo, & appropriando mihi aliena bona, quæ nondum habeo, ſecuriſſimâ viâ procedo. Quia poſitis veſtris principiis, mea áſſertio certiſſima eſt, cætera verò omnia ſunt incerta.

Janſen. Falleris ſcelerate, falleris! quia hoc eſt certiſſimum, quòd ſi tu mortuus fueris in peccato mortali, infallibiliter damnaberis: nec Quesnellus dicit contrarium.

 120.

120. *Theolog.* Sed hoc ipsum est in quæstione; quia secundùm Quesnellum, *Si DEUS vult me salvare*, quæcunque scelera commisero, *infallibiliter salvabor*, & moriar in gratia DEI, *quia voluntatem DEI sequitur effectus indubitabilis.* Uti è contra: Si DEUS non vult me salvare, quæcunque bona operatus fuero, actum est de me, moriar in peccato mortali.

Et sic mi Domine, vides, quòd in sistemate Quesnelli totum dependet à voluntate aliena, cujus ego non sum dominus. Unde sequitur, quòd nihil mihi est securiùs, quàm vivere secundùm inclinationem naturæ & passiones meas, expectando, ut DEUS exequatur æternum suum decretum, cui ego nihil mutationis adjicere possum.

Jansen. O te miserum! sine fiducia in JESU Christo, sine spe, sine charitate! Nonné etiam & fidem amisisti?

121. *Theol.* Fidem? Ego olim totum id credidi: quod Ecclesia docet. Sed

nunc, quando vos ab Ecclesia separâstis eos, qui in ea habebant jus docendi, non video, quid credere debeam?

Jansen. Quem nos separavimus ab Ecclesia?

Theolog. Papam & Episcopos.

Jansen. Oh non! illi sunt in Ecclesia.

122. *Theol.* Et ego probo, quòd juxta principia Quesnelli illi non sunt in Ecclesia: quia juxta Quesnellum, illi non sunt in Ecclesia, qui sunt in peccato mortali: ille enim docet Ecclesiam componi ex Angelis, qui sunt in cælo, & ex justis qui sunt in terra.

123. *Jansen.* Verum est, ita docet ubiq́ Quesnellus, præsertim prop. 72. *Nota Ecclesiæ Christianæ est, quod sit Catholica, comprehendens & omnes Angelos cæli, & omnes electos & justos terræ & omnium sæculorum.*

Et prop. 73. *Quid est Ecclesia, nisi cœtus filiorum DEI manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus personæ, redemptorum ejus sangvine, vi-*

ventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, expectantium gratiam futuri ſæculi.

Et prop. 74, *Eccleſia ſive integer Chriſtus, incarnatum Verbum habet ut caput, omnes vero ſanctos ut membra.*

Et prop. 75. *Eccleſia eſt unus ſolus homo compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt Caput, vita, ſubſiſtentia & perſona unus ſolus Chriſtus compoſitus ex pluribus Sanctis, quorum eſt ſanctificator.*

Item prop. 76. *Nihil ſpatioſius Eccleſia DEI: quia omnes electi & juſti omnium ſæculorum illam componunt.*

Super omnia propoſitio 78. clariſſimè pronuntiat, quòd *ſeparatur quis á populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & Caput eſt JESUS Chriſtus, tam non vivendo ſecundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.*

Sed hæc omnia quid faciunt Papæ & Epiſcopis?

124. *Theolog.* Faciunt hoc, quòd Papa & Epiſcopi non ſint de Eccleſia: quia ſunt in peccato mortali.

Janſen. Unde hoc ſcis?

125. *Theol.* Res eſt evidens: Quicunq; errores docet, eſt in peccato mortali. Sed Papa per Bullam Unigenitus damnando 101. propoſitiones, & Epiſcopi hanc Conſtitutionem approbando, & per ſuas Diæceſes promulgando, docent errores: ergo ſunt in peccato mortali.

Janſen. Verum eſt, & ideo nos non recipimus hanc Conſtitutionem.

126. *Theol.* En igitur; te ipſo judice, Papam & Epiſcopos in peccato mortali, & conſequenter excommunicatos & ſeparatos ab Eccleſia in bona forma Quesnelli, *quia ſeparatur quis á populo electo,* ſive ab Eccleſia, *tam non vivendo ſecundum Evangelium, quam non credendo Evangelio. Subſumo:* Atqui illi damnando ſanctas propoſitiones Quesnelli *non credunt Evangelio*; ergo *ſeparantur* ab Eccleſia DEI, ſeu á *populo electo.*

Janſen. Quid inde concludis?

127. *Theol.* Concludo hoc, quòd nescio, quò me conferre debeam, ut discam quid oportet credere quid non?

Jansen. Video te valde esse perplexum! Confer te ad nostram parvam Ecclesiam: illa docet omnia contraria iis, quæ decidit Papa & Episcopi, & consequenter illa non docet errores.

128. *Theologus pro scelerato.* Sed quomodo conferam me ad vestram parvam Ecclesiam? ut ad eam accedam, necesse est ante omnia, ut illa sit *visibilis*: quia si illa est *invisibilis*, non possum illam cognoscere: aliunde autem scis, quod *visibilitas* omnibus sæculis erat character essentialis veræ Ecclesiæ. Jam verò vestra parva Ecclesia nulli hominum super terram est visibilis.

Quod evidenter ex vestris principiis demonstro: quia juxta Quesnellum, Ecclesia est composita ex iis, qui sunt in statu gratiæ. Atqui evidens est, quòd nullus hominum super terram possit videre

dere & discernere, qui sunt in statu gratiæ, nisi solus DEUS: quia nullus est, qui sciat, qui sunt hi, quos DEUS judicat *dignos amore vel odio*? Quomodo ergo illam dignoscam?

Jansen. Confer te ad nostros quatuor Episcopos appellantes à decisione Papæ ad universale Concilium; illi sunt oracula nostræ Ecclesiæ.

129. *Theol.* Sed eadem semper difficultas manet. Quis enim me assecurabit, & certum reddet, quòd vestri *quatuor Episcopi appellantes* sint in statu gratiæ? Quodsi illi sunt in statu peccati mortalis, jam eos Quesnellus primus vester Patriarcha exclusit ex Ecclesia. Et sic donec ego sciam, utrum illi digni sunt amore aut odio DEI, semper habeo rationem timendi, quòd hi *quatuor Episcopi appellantes* sint excommunicati tam à magna nostra, quâm á vestra parva Ecclesia. En in quales tricas me conjicis.

Jan-

Jansen. Nihil timeas! eô ipsô, quòd sunt Episcopi, illi habent potestatem & auctoritatem docendi: hoc tibi debet sufficere.

130. *Theol.* Oy! Id mihi non sufficit? quia quo jure à me exigis, ut me subjiciam auctoritati quatuor Episcoporum separatorum à Capite Ecclesiæ, cùm tu & tui Confratres nolint se subjicere ipsi Capiti Ecclesiæ sumpto una cum Episcopis omnibus totius mundi illi unitis? Possumné credere, quòd quatuor Episcopi sepàrati à capite sint infallibiles? & caput, ac omnes Episcopi totius mundi uniti capiti suo sint fallibiles?

Jansen. Confer te igitur ad universale Concilium: jam enim nescio, quò te ulteriûs ducam.

131. *Theol.* Sed non celebratur Concilium. Verum etsi celebraretur, Quesnellus semper me rejiceret in pristinam meam perplexitatem: Nullus ex Patribus Concilii potest me assecurare, & cer-

certum reddere, quòd ille sit in Ecclesia, cùm nullus eorum certò sciat, utrum amore an odio dignus sit; & per consequens, si sequimur principia Quesnelli, & Papa; & Episcopi, & ipsum Concilium, & tota Ecclesia ac fides ruit in præceps!

Jansen. Ah mi dilecte Pater, quále principium! quia si ad hoc, ut aliquis sit in Ecclesia, necesse est, ut sit in statu gratiæ, nullus erit in mundo, qui sit certus, se esse in Ecclesia. Ipse Quesnèllus auctor hujus præclari principii nunquam fuit certus se esse in statu gratiæ.

132. *Theol.* Oh Quesnellus non erat auctor hujus principii: quiá Wiklef, Lutherus, & Calvinus ante ipsum ita docuerunt. Sed hic & nunc, minus est de auctore hujus dogmatis: hoc solùm peto: admisso eo, nunquid non evidenter sequitur, quòd nec ego, nec tu, nec quicunqué eorum, quibuscum vivimus, su-

ſuper terram, & qui gloriæ ſibi ducunt ſe eſſe & appellari Chriſtianos, nec ex parva veſtra Eccleſia ullus, nec ex magna noſtra ullus Epiſcoporum præſentium & præteritorum, nec ullus Paparum, qui erant capita Eccleſiæ poſt S. Petrum, potuit juſto titulo gloriari ſe fuiſſe vel eſſe in Eccleſia.

Janſen. Bone DEUS, quale chaos!

133. *Theolog.* Omnino igitur neceſſe eſt redire ad antiqua omnium ſæculorum principia, quòd etiam peccatores ſint in Eccleſia virtute baptiſmi eorum, niſi ſeparentur propter rebellionem adversùs deciſionem Paſtorum.

Janſen. Et ego jam clarè video, quòd omnino neceſſe eſt redire ad antiqua principia: aliàs neſciretur, ubi eſt Eccleſia, & qui ſunt in ea, aut qui non ſunt? cùm non ſit faciliùs cognoſcere, qui ſunt electi ſuper terram, quàm qui ſunt Angeli in cælo.

134. *Theol.* Laus DEO! jam ergo cogno-

cognoſcis, quòd mea apologia non abiit in vanum: neceſſe eſt igitur vel condemnare Queſnellum, vel abſolvere ſceleratum.

Janſen. Poſt hæc omnia: adhuc ſcio immane quoddam facinus præfati ſcelerati, tam barbarum, tam atrox, ut dubitem, utrum eum poſſis ex principiis Queſnelli excuſare ac defendere.

135. *Theolog.* Quod illud ediſſere! quodcunq; & quantumcunq; illud fuerit, mox huic ſcelerato ſuccurret veſter Doctor.

Janſen. Hic ſceleratus uno die incidit in pauperem viatorem, cui omnibus ſublatis, demum eum immiſericorditer interemit, timendo ne ipſum judicibus proderet. Hic mi Pater, repræſenta tibi ex una parte hunc miſerum viatorem pedibus latronis proſtratum expetentem ab eo hanc unicam gratiam, ut ei vitam donet, & ex altera latronem pugione confodientem pectus ejus: poteſt-

né

né tam immane, tam atrox ſcelus excuſari?

136. *Theol.* Ey mi Domine, Quesnellus ei permiſit hoc facinus!

Janſen. Eſtne hoc poſſibile?

Theolog. Judica tu ipſe: hæc eſt 71. Quesnelli propoſitio: *Homo ob ſui conſervationem poteſt ſeſe diſpenſare ab ea lege, quam DEUS condidit propter ejus utilitatem.* Atqui hanc legem: *Non occides* nunquid DEUS non propter utilitatem hominis condidit? Ergo hic latro potuit ſeſe diſpenſare ab hac lege ob ſui conſervationem: hoc eſt, quòd ad aſſecurandam ſui conſervationem, & ad tollendum periculum ſuæ proditionis, potuit bonâ conſcientiâ adimere vitam miſero viatori. Nunquid hoc non eſt clarum?

Janſen. Ah quàm abominandum ac deteſtandum principium! jam ſatis eſt, convictus ſum.

137. *Theol.* Quæ jam crimina Quesnellus hoc dogmate non tollet? Nam eo

eo admiſſo, ſi mendacium, perjurium, calumnia, proditio, veneficium ſunt neceſſaria pro mei conſervatione, evidens eſt, quòd ego innixus huic principio, poſſim me diſpenſare ab omnibus legibus hæc prohibentibus: cùm omnes leges evidenter latæ ſunt propter utilitatem hominis. Nonné hæc axiomata ſunt commoda homini? & tamen ſunt dogmata ſcholæ *ſeveræ, rigidæ doctrinæ moralis*! ut ipſi plenis buccis clamant.

Janſen. Per DEUM immortalem! non poſſum concipere, quomodo ego olim legens hanc propoſitionem, non adverti tantas & tales conſequentias?

138. *Theol.* Quid faciendum? Interim bene factum eſt, quòd hæc propoſitio rejecta eſt in finem noſtri Dialogi quia ſi ab initio colloquii noſtri ego dixiſſem tibi, quòd *Doctrina moralis* Quesnelli aperit portam ad omnia flagitia, tu me habuiſſes pro calumniatore, & nihil mihi credidiſſes: nunc ipſe judica, quam

quam favorabilis est ejus doctrina omnibus furibus, homicidis, latronibus?

Jansen. Nunc video Quesnelli doctrinam inventam esse tantùm joci & hilaritatis gratiâ ad justificandos per jocum sceleratorum sceleratissimos.

139. *Theol.* Judica inde, utrum hæc doctrina non sit in praxi apud quemlibet peccatorem minùs scelestum, quàm fuit ille latro. Quia si in hac doctrinâ abundè invenitur, per quod justificetur scelestissimus latro, quomodo à fortiori per eadem principia non justificabuntur peccata non ita in cælum clámantia, & fragilitates ordinariæ?

140. *Theol.* Quod me attinet: ego si haberem talia principia, nec uno momento haberem inquietudinem conscientiæ meæ, committerem audacter omnia crimina, ad quæ habeo inclinationem naturæ meæ, & si remorsum conscientiæ sentirem, statim recurrerem pro remedio ad Quesnellum: quo consulto dicerem

mihi

mihi: Ad quid ista turbatio? quid habeo in me reprehendendum? *Gratia mihi deerat, & ego sine gratia non eram liber, nisi ad malum, nec potui orare DEUM sine novo peccato, non habui amplius jus audiendi Sacrificium Missæ, habui impotentiam generalem ad orationem, ad laborem & ad omne opus bonum: præterea præcepta Divina mihi erant impossibilia, JESUS Christus fortè pro me non est mortuus: si DEUS vult me salvare*, non minus salvabor sequendo meas inclinationes, quàm illas reprimendo: *& si DEUS non vult me salvare, damnabor*, etiamsi repressero meas inclinationes.

Et sic applicando mihi personaliter omnia alia principia Quesnelli, non habebo scrupulum abjiciendi etiam fidem quia quid credere, quando non est Ecclesia, aut saltem quia illa cognosci non potest? Ecce hoc totum est in praxi: & hoc facit bonum Jansenistam.

Jansen. Oh sine dubio!

141.

141. *Theolog.* Et tamen Jansenistæ quæruntur, quòd Ecclesia illis injuriam intulerit damnando talem eorum doctrinam, doctrinam inquam talem, quæ aufert *DEO* pulcherrima ejus attributa, uti Sanctitatem, justitiam & misericordiam! *Homini* sua pulcherrima Privilegia libertatem & merita! *Religioni* suas pulcherrimas virtutes fidem, spem, charitatem & timorem DEI. *Ecclesiæ* suos principales characteres, suam auctoritatem, suam visibilitatem, suam infallibilitatem! *Mandatis DEI* suam possibilitatem! *Peccatori* omnes resurgendi & resipiscendi modos, scilicet Sacrificium Missæ, orationem, Sacramenta, bona opera, gratiam DEI prævenientem, excitantem, adjuvantem: voluntatem DEI omnes salvandi, consolationem se esse adhuc in Ecclesia saltem virtute baptismi. Uno verbo *talem doctrinam*, quæ prohibet homini peccatori sub pæna *condemnationis* exercere virtutes morales etiam

etiam in ethnicis laudandas, & permittit homini justo maxima crimina perpetranda *pro sui conservatione.* Nunquid talem doctrinam Ecclesia potuit approbare? Quam ergo injustitiam fecit, eam condemnando?

Jansen. Sed quî fieri potuit, ut tam enormis, tam abominabilis doctrina invenerit suos defensores?

142. *Theolog.* Nunquid mi Domine ipse titulus *Doctrinæ moralis severæ, rigidæ*, & tamen blandientis & faventis humanæ inclinationi, & passionibus, non potuit invenire suos fautores & sectatores?

Deinde quàm multi sunt tales, qualis tu mi Domine hucusq; fuisti, qui amplexi sunt hanc doctrinam, non considerantes consequentias, quæ ex ejus principiis profluunt.

143. Plus dico, quàm multi sunt, qui tuentur doctrinam Jánsenistarum, quorum principia prorsus ignorant, & nesciunt quid Quesnellus docuerit,

& quid per suos terminos æquivocos, ambiguos & ad speciem devotos intellexerit? vg. propos. 3. *In vanum Domine præcipis, & si tu ipse non das, quod præcipis.* Hæc propositio quo ad speciem videtur esse devota, sed quære Quesnellum, quid per hæc verba intelligit? & audies ab eo blasphemiam in DEUM vibratam: quia illius sensus est. Frustra Domine præcipis, si non das mihi *gratiam invincibilem, cui ego resistere non possim*, & si talem mihi gratiam non dederis, injustè me damnabis pro hoc, quôd ego præcepta tua non impleverim, quia ea implere non potui sine gratia tua invincibili, cui resisti non potest; eodem modo dicendum & tenendum de cæteris Quesnelli propositionibus prohibitis per Constitutionem UNIGENITUS, quæ ad speciem pietatem redolent, & intrinsecus squallent puris blasphemiis.

144. Et ideo Promotores & Defensores hujus doctrinæ artificiosè, sed fraudulen-

dulenter hucusq; processernnt cum suis Sectatoribus, fovendo in illis ignorantiam suorum dogmatum virulentorum: in qua ignorantia ut eos retinerent, *partim servarunt profundum silentium* super propositionibus Quesnelli; ut per hoc persvaderent simplicibus hominibus, quòd hac in re pura tantùm scholastica agitaretur disputatio, minimè tangens essentialia puncta Religionis, fidei & morum. Et tamen vides, quam multùm illa concernit fidem & mores: *partim* citaverunt aliquas propositiones, quas malitiosè ita intricârunt & implicârunt tot factis & ratiocinationibus alienis à proposito, ut plurimi maluerint credere eorum verbis, quàm assumere laborem, ut se extricarent ex tot ambagibus & perplexitatibus, ac emergerent ex tanto chao.

145. Quid ampliùs dicam? Illi eò audaciæ processerunt, ut ausi fuerint textus S. Augustini alterare, truncare, mu-

tilare, ipsum Augustinum induere habitu Janseniano & inducere eum loquentem linguâ Quesnellianâ.

146. In quo imitati sunt prædecessores suos Hæresiarchas, quorum penè nullus erat, qui non indueret habitum Augustini. Lutherus dicebat; S. Augustinus est totus pro me! Calvinus dicebat: Augustinus est pro me; Melanchton ferè idem jactabat: Wikleff volebat se appellari Joannem ab Augustino, & sic mille alii etiam temporibus ipsius S. Augustini, ut ipse conqueritur, abutebantur scriptis & nomine Augustini ad stabiliendos suos errores,

Quis jam post hæc mirabitur, quòd Jansenius librum suum intitulaverit AUGUSTINUS JANSENII, & quòd Jansenistæ & discipuli Quesnelli vocent se discipulos S. Augustini.

147. *Jansen.* Ah mi dilecte Pater, ego quoq; talis fui usq; ad præsentem horam; de quo summopere doleo! Sed mise-

miseret me aliorum tam honestorum hominum seductorum à Quesnello! da modum dilecte Pater, quo tanti viri ab errore revocentur ad veritatem, ut ego hodie gratiâ DEI & tua ope evasi ex hoc labyrinto.

Theol. Non video meliorem modum eos revocandi ab hoc errore, quàm svaviter exponendo ipsis ipsam *Historiam Quesnellismi*, & ante oculos ponendo totum id, quod est actum in hoc negotio Quo bene intellecto, quilibet bona fide procedens, potest videre & animadvertere, se fuisse deceptum specie pietatis perniciosis illis dogmatibus illitæ.

148. Interim ne dicamur nos dereliquisse nostrum sceleratum, imaginemur nobis eum suas praxes seu sua malefacta reduxisse ad centum & unam maximas seu principia secundùm numerum damnatarum propositionum Quesnelli. Hæc principia, ut ita dicam latroniana

 suppo-

ſupponamus eſſe damnata ab omnibus Judicibus, qui habuerunt jus ea dijudicandi, exceptis tribus aut quatuor judicibus fautoribus ſcelerati.

Hac condemnatione irritati cæteri latrones appellant ad generalia Comitia omnium Regni ſtatuum, & interim donec ea convocentur, illi non ceſſant tumultuari, ſeditiones excitare, famoſis libellis implere orbem, in quibus mille fabulæ, ipſiſſima mendacia continentur, quæ judices iniquitatis arguunt, illi tamen has fabulas pro veris hiſtoriis venditant, ut oculos hominum pulvere conſpergant, & ut plures honeſtos viros in ſuas partes pertrahant.

En Hiſtoriam Quesnelliſmi & Janſeniſmi? ſi vis faciam applicationem.

149. *Janſen.* Hoc non indiget Commentario: vel ſi hoc opus eſt; ego ipſe illud faciam: ſi dictus ſceleratus ſuas impias praxes reduxit ad centum principia latroniana, audacter aſſero, horum

prin-

principiorum Auctorem eſſe Quesnellum in libro cui titulus eſt: *Reflexiones morales.*

2. Sceleratus latro condemnatus ab omnibus judicibus ſæcularibus totius mundi exceptis ſolùm tribus aut quatuor judicibus fautoribus latronum, eſt idem Quesnellus condemnatus ab omnibus Epiſcopis totius mundi, exceptis ſolùm tribus aut quatuor Epiſcopis Galliæ fautoribus Janſeniſtarum; cum hac ſolùm differentia, quod judices ſæculares, qui condemnarunt principia latroniana, licèt ſint magnæ auctoritatis, non fuerunt tamen infallibiles: Judices verò ſpirituales qui condemnarunt principia Quesnelliana, fuerunt infallibiles; cùm fuerint uniti cum ſuo Capite Vicario Chriſti Succeſſore S. Petri, cum quibus promiſit Chriſtus ſe futurum omnibus diebus uſq; ad conſummationem ſæculi, & quibus promiſit ſe rogaturum Patrem, ut eis det alium Paracletum, Spiritum veritatis, qui cum eis maneat in æternum.

3. La-

3. Latroniani appellantes ad futura generalia Comitia omnium statuum, sunt evidenter Quesnellistæ appellantes ad futurum Concilium universale.

4. Demum seditiones, tumultus, & scripta latronum, sunt seditiones & sparsi per orbem famosi libelli Quesnellistarum, qui suos fautores laudibus ad sidera evehunt, sibi autem contrarios teterrimis depingunt characteribus, famam eorum denigrant, calumnias eis atroces affingunt, auctoritatem eorum minuunt, Papam more Hæreticis consveto vocant Antichristum, eos, qui rejiciunt eorum principia, appellant corruptores moralis doctrinæ &c. ita ipsi veritatem defendunt!

Theol. Satis bene exposuisti factum Quesnellistarum.

150. *Jansen.* Modus Jansenistarum defendendi suam doctrinam per passionem, furorem, calumnias, mendacia semper mihi displicuit; retinebat tamen

me in illorum secta auctoritas Quesnelli, cujus dicta reputabam oracula Divina: quod totum proveniebat ex eo, quòd non consideraverim bene consequentias, quæ ex oraculis ejus profluunt.

151. *Theolog.* Abhinc mi Domine, nunquam separa hæc tria, quæ faciunt, ut omnibus futuris sæculis doctrina Jansenistarum & Quesnellistarum habenda sit semper pro hæresi damnata ab Ecclesia.

Primò Character doctrinæ, quam illi docent: Vidisti jam, quod omnia ejus principia nihil aliud sunt, nisi eversio fidei & convulsio principiorum Christianæ Philosophiæ de moribus seu doctrinæ moralis.

Secundo Modi, quibus suam doctrinam defendunt per calumnias, mendacia, seditiones, furorem &c.

Tertio Auctoritas suprema & infallibilis, quæ istam doctrinam condemnat: hoc est plures quàm centum Episcopi

solius Galliæ juncti omnibus aliis Episcopis totius mundi nullo excepto, habentes præduces sibi omnes Cardinales Sacræ Romanæ Ecclesiæ, & successivè Summos Pontifices quinq; Clementem XI. Innocentium XIII. Benedictum XIII. Clementem XII. & Benedictum XIV. Quodsi adhuc à condemnatione quinq; Propositionum Jansenii numerare volueris Summos Pontifices, præter hos quinq;, invenies alios septem, Innocentium X. Alexandrum VII. Clementem IX. X. Innocentium XI. Alexandrum VIII. & Innocentium XII.

152. Pondera bene hæc tria capitalia puncta, quorum unum sufficeret homini sensato: & post hæc omnia judica qui sunt meliùs fundati, an ii, qui sustinent doctrinam Papæ & omnium Episcoporum Catholicorum totius mundi, an illi, qui cum tribus aut quatuor Episcopis Quesnelli doctrinam ab Ecclesia damnatam defendunt.

Jan-

Jansen. Evidens est, quam partem sequi debeam. Vado ad projiciendum librum Quesnelli in ignem.

TABULA METHODICA

Praxium Latronum reductarum ad principia Quesnelli in hoc Libello sparsa, ad usum eorum, quibus deest gratia DEI invincibilis.

PRAXES Latronum	PRINCIPIA Quesnelli.
1. Audacter committe omnia mala, ad quæ tentaris: quia aliter fieri non potest.	1. Peccator sine gratia non est liber, nisi ad malum. prop. 38. hic n. 23. 43.
2. Nullum exerce bonum opus: quia illud exerceri non potest.	2. Voluntas sine gratia habet impotentiam generalem ad omne opus bonum. prop. 1. n. 23.
3. Viola sine scrupulo omnia manda-	

ta

ta DEI: quia illa servari non possunt.

4. Peccator non eat diebus Festis ad audiendam Missam, donec convertatur.

5. Non confitearis etiam circa Pascha.

6. Cave, ut ores DEUM, ne committas novum peccatum.

7. Acquiesce gratiæ Divinæ: illa ipsa totum faciet, quod oportet.

8. Non doleas de peccatis præteritis.

9. Nullam facito resolutionem in futurum.

3. Mandata DEI sunt impossibilia peccatori: deest quoq; illi gratia, qua possibilia fiant.

4. Decimus 4tus gradus conversionis est habere jus assistendi Sacrificio prop. 89. n. 66.

5. Quinq; impotentiæ generales impediunt. n. 76. 78. 79.

6. Oratio impiorum est novum peccatum. propos. 59. n. 64.

7. Gratia operatur in nobis, totum id, quod DEUS jubet, prop. 15. 8. n. 101.

10.

10. Non amato DEUM.

11. Non amato proximum tuum etiam maximè tibi intimum.

12. Nihil spera.

13. Vivito secundùm inclinationem tuæ naturæ. n. 120.

14. Nullos exercè actus religionis.

15. In statu peccati mortalis nulla facito bona opera.

16. Peccator non existimet se esse in Ecclesia.

17. Nec debet quærere Ecclesiam.

18. Nec debet agnoscere Pastores

8. Deerat gratia sine qua non potest superari cupiditas.

9. Quis scit, si DEUS restituet suam gratiam.

10. Quia DEUS præcipit impossibilia sub pœna damnationis. n. 112.

11. Sine gratia nihil possumus amare, nisi ad nostrã condemnationem. n. 28.

12. Quia DEus non vult salvare omnes, & Christus non est mortuus nisi pro electis. n. 114. 118.

13. Si DEUS vult te salvare, nil pote-

suos, donec sciat eos esse in gratia DEI.

19. Perseverandum est in peccatis.

20. Non est abstinendum à peccatis timore pœnæ.

21. Pro sui conservatione licet occidere proximum.

12. Oportet practicare severam, rigidam doctrinam Quesnelistarum.

23. Vitanda est moralis doctrina laxa Anti-Janistarum

poterit obstare, quominus effectus sequatur voluntatem DEI. n. 101.

14. Si DEUS non vult te salvare indubitabiliter damnàberis, quidquid boni feceris n. 120.

15. Cupiditas carnalis ea corrumperet. n. 74.

16. Quia separatur ab Ecclesia non vivendo secundùm Evangelium. n. 123. 126.

17. Ecclesia composita est ex justis, adeoq; invisibilis. n. 123.

18. Qui sunt in peccato mortali, non

non sunt in Ecclesia. n. 128.

19. Quia Christi desideria semper habent effectum. Si Christus desideraret conversionem tuam, infallibiliter convertereris. n. 94.

20. Qui abstinet à malo ex timore, committit illud in corde suo. n 103.

21. Homo potest se dispensare à lege Divina pro sui conservatione n 136.

22. Illa docet & tradit modò posita principia.

23. Jansenistæ omnia contraria docent principiis Molinistarum.

En benevole Lector Principia seu Dogmata Quesnelli reducta ad Praxim scelaratorum; aut si mavis practicas scelератorum artes reductas ad principia Quesnelli! Talis est JANSENISMUS detractâ larvâ. Nunc pono ipsam Bullam:

CLE.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum DEI

Universis Christi fidelibus Salutem & Apostolicam Benedictionem.

UNIGENITUS DEI Filius pro nostra & totius mundi salute Filius hominis factus, dum discipulos suos doctrinâ veritatis instrueret, universamq; Ecclesiam suam in Apostolis erudiret, præsentia disponens, & futura prospiciens, præclaro ac saluberrimo documento nos admonuit, ut attenderemus à falsis Prophetis, qui veniunt ad nos in vestimento ovium, quorum nomine potissimum demonstrantur magistri illi mendaces, & in deceptione illusores, qui splendida pietatis specie, prava-

prava dogmata latenter insinuantes introducunt sectas perditionis sub imagine sanctitatis; utq; facilius incautis obrepant, quasi deponentes lupinam pellem, & sese Divinæ legis sententiis velut quibusdam ovium velleribus obvolventes, sanctarum Scripturarum adeoq; etiam ipsius novi testamenti verbis, quæ multipliciter in suam aliorumq; perditionem depravant, nequiter abutuntur: antiqui scilicet, à quo progeniti sunt, mendacii parentis exemplo, ac magisterio edocti, nullam omnino esse ad fallendum expeditiorem viam, quàm ut ubi nefarii erroris subintroducitur fraudulentia, ibi Divinorum verborum prætendatur auctoritas.

His Nos verè Divinis monitis instructi, ubi primùm non sine intima cordis nostri amaritudine accepimus, Librum quemdam Gallico idiomate olim impressum, & in plures tomos distributum sub titulo: *Le Nouveau Testament en Fran-*

François avec des reflexions morales sur chaque verset &c. á Paris 1699. Aliter verò *Abbregé de la morale de l'Evangile, des Actes des Apôtres, des Epîtres de S. Paul, des Epîtres Canoniques, & de l'Apocalypse: ou Pensées Chretiennes sur le texte de ces Livres Sacrez &c. á Paris 1693. 1694* tametsi aliàs à Nobis dámnatum, ac revera Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiscentem, adhuc tamen tanquam ab omni errore immunem à pluribus haberi, Christi fidelium manibus passim obtrudi, ac nonnullorum nova semper tentantium consilio, & operâ studiosè nimis quaquaversum disseminari, etiam latinè redditum, ut perniciosæ institutionis contagium, si fieri possit, pertranseat de gente in gentem, & de regno ad populum alterum: versutis hujusmodi seductionibus atq; fallaciis creditum Nobis Dominicum gregem in viám perditionis sensim abduci sum-

summopere doluimus: adeoq; Pastoralis non minùs curæ nostræ stimulis, quàm frequentibus orthodoxæ fidei Zelatorum querelis, maximè vero complurium venerábilium Fratrum præsertim Galliæ Episcoporum literis ac precibus excitati gliscenti morbo, qui etiam aliquando posset in deteriora quæq; proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipsam ingruentis mali causam providæ nostræ considerationis intuitum convertentes, perspicuè novimus summam hujusmodi Libri perniciem ideo potissimum progredi & invalescere, quòd eadem intus lateat, & velut improba sanies nonnisi secto ulcere foras erumpat; cùm Liber ipse primo aspectu legentes specie quadam pietatis illiciat; molliti enim sunt sermones ejus super oleum: sed ipsi sunt jaculâ, & quidem intento arcu, ita ad nocendum parata, ut sagittent in obscuro rectos corde. Ni-

Nihil propterea opportunius, aut salubrius præstari à Nobis posse arbitrati sumus, quàm si fallacem Libri doctrinam generatim solummodo à Nobis hactenus indicatam, pluribus singillatim ex eo excerptis propositionibus, distinctiùs & apertiùs explicaremus, atq; universis Christi fidelibus noxia zizaniorum semina, è medio tritici, quo tegebantur, educta velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis, & quasi in propatulo positis, non uno quidem aut altero; sed plurimis gravissimisq; tum pridem damnatis, tum etiam novè adinventis erroribus, planè confidimus benedicente Domino, fore, ut omnes tandem apertæ jam, manifestæq; veritati cedere compellantur.

Id ipsum maximè è re Catholica futurum, & sedandis prælertim in florentissimo Galliæ regno exortis ingeniorum variè opinantium, jamq; in acerbiores scissuras propendentium dissidiis apprimé

mè proficuum, conscientiarum deniq; tranquillitati perutile, & propemodum necessarium, non modò præfati Episcopi, sed & ipse inprimis Charissimus in Christo Filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus, cujus eximium in tuenda Catholicæ fidei puritate, extirpandisq; erroribus zelum satis laudare non possumus, sæpiùs Nobis est contestatus; repetitis propterea verè piis, & Christianissimo Rege dignis officiis, atq; ardentibus votis á Nobis efflagitans, ut instanti animarum necessitati prolatâ quantocyus Apostolici censurâ judicii consuleremus.

Hinc aspirante Domino, ejusq; cælesti ope confisi, salutare opus sedulò, diligenterq; ut rei magnitudo postulabat aggressi sumus, ac plurimas ex prædicto libro juxta supra recensitas respectivè editiones fideliter extractas, & tum Gallico tum Latino idiomate expressas propositiones à compluribus in Sacra Theologia

logia Magistris, primò quidem coram duobus ex venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus accuratè discuti, deinde verò coram Nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio, quàm maximâ diligentiâ ac maturitat, singularum insuper propositionum cum ipsomet Libri textu exactissimè facta collatione, pluries iteratis Congregationibus expendi & examinari mandavimus.

Hujusmodi autem Propositiones sunt, quæ sequuntur: videlicet:

1. *Quid aliud remanet animæ, quæ DEUM atq; ipsius gratiam amisit, nisi peccatum & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum. V. de hujus propositionis discussionem superius in Dialogo numero initiali. 23. 59. 69. 70. 71. 75. 78. 79. 80. 98. 99 100.*

2. *JESU Christi gratia principium ef-*

ficax boni cujuscunq; generis, necessaria est ad omne opus bonum: absq; illa non solùm nihil fit, sed nec fieri potest. Vide explanationem hujus prop: suprà n. 2. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. & 107.

3. *In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das, quod præcipis vide supra n. 143.*

4. *Ita Domine, omnia possibilia sunt ei cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo. Confer hanc propositionem cum propositionibus inferius hic positis: 23. 25. 6. 7. 8.*

5. *Quando DEUS non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum. Vide supra n. 23.*

6. *Discrimen inter fœdus Judaicum & Christianum est, quod in illo DEUS exigit fugam peccati & implementum legis á peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto vero DEUS peccatori dat quod jubet, illum suâ gratiâ purifican-*

do. Confer cum prop: 4. 23. 25. 7. 8.

7. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo DEUS illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ verò felicitas non est admitti ad fœdus in quo DEUS donat nobis, quod petit à nobis. Confer cum prop: 6. 7. 23. 25.

8. Non pertinemus ad novum fœdus, nisi inquantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod DEUS nobis præcipit. Vide explanationem supra: n. 101. & confer cum prop: 6, 7. 23. 25.

9. Gratia Christi est gratiá suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus. Vide supra n: 23.

10. Gratia est operatio manûs Omnipotentis DEI, quam nihil impedire potest aut retardare. Vide superiùs num. init. 19.

11. Gratia non est aliud, quàm voluntas Omnipotentis DEI, jubentis & faci-

facientis, quod jubet. Vide supr: n. 101.

12. Quando DEUS vult salvare animam, quocunque tempore, quocunque loco, effectus indubitabilis sequitur voluntatem DEI. Vide supr: n. 118. 120.

13. Quando DEUS vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit. Confer cum prop: 16. 21. 10, 14. 15. Vide supr: n. 22.

14. Quantumcunque remotus sit à salute peccator obstinatus, quando JESUS se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet, ut se dedat, accurrat, se humiliet, & adoret Salvatorem suum. Confer cum prop: 13. & cum 15. 16. 17. 18. usque ad 25.

15. Quando DEUS mandatum suum, & suam æternam locutionem comitatur unctione sui Spiritûs, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit. Vide supr: n. 38. 40. 101.

16. *Nulla sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti.* Vide suprá. n. 19.

17. *Gratia est vox illa Patris, quæ homines interiùs docet, ac eos venire facit ad JESUM Christum: quicunque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus á Patre.* Vide supr: n. 23.

18. *Semen Verbi, quod manus DEI irrigat, semper affert fructum suum.*

19. *DEI gratia nihil aliud est, quàm ejus omnipotens voluntas: hæc est idéa, quà DEUS ipse nobis tradit in omnibus suis scripturis.*

20. *Vera gratiæ idèa est, quod DEUS vult sibi à nobis obediri, & obeditur, imperat & omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt.*

21 *Gratia JESU Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote, quæ est operatio voluntatis omnipotentis*

tentis

tentis, sequela & imitatio operationis DEI incarnantis Filium suum. Vide supr. n. 19 109.

22. *Concordia Omnipotentis operationis DEI in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur illico nobis in incarnatione, veluti in fonte atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes á DEO sunt, sicut ipsa originalis operatio.*

23. *DEUS ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, quâ creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.*

24. *Justa idéa, quam Centurio habet de Omnipotentia DEI, & JESU Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus á cupiditate.*

25. *DEUS illuminat animam & eam*

 sa-

sanat æque ac corpus sola sua voluntate: jubet & ipsi obtemperatur. Hæ propositiones incipiendo ab 8va usque ad hanc asserunt gratiam invincibilem.

26. *Nulla dantur gratiæ, nisi per fidem.*

27. *Fides est prima gratia & fons omnium aliarum.*

28. *Prima gratia quàm DEUS concedit peccatori, est peccatorum remissio.*

29. *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.*

30 *Omnes, quos DEUS vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter. Vide supra n. 118. 129. &c.*

31. *Desideria Christi semper habent suum effectum: pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat. Vide supra n. 93. 94.*

32. *JESUS Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine Primogenitos, id est Electos, de manu Angeli exterminatoris. Vide supr. n. 114. 116.*

33. *Proh? quantùm oportet terrenis & sibimet ipsi renunriâsse, ad hoc, ut quis fiduciam habeat sibi ut ita dicam appropriandi Christum JESUM, ejus amorem, mortem, & mysteria, ut facit S. Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Vide super. n. 117.*

34. *Gratia Adami non producebat, nisi merita humana.*

35. *Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ & integræ.*

36. *Differentia essentialis inter gratiam Adami & statûs innocentiæ ac gratiam Christianam est, quòd primam unusquisque in propria persona recepisset; ista verò non recipitur, nisi in persona JESU Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.*

37. *Gratia Adami sanctificando illum in semet ipso, erat illi proportionata: Gratia Christiana nos sanctificando in JESU Christo est omnipotens & digna Filio Dei.*

38. *Peccator non est liber, nisi ad ma-*

lum sine gratia Liberatoris. Vide discussionem hujus prop. n. 23 43. 44. 45. 46. 57. 58. 97.

39. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad se præcipitandum virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum. Vide explanationem hujus prop: supra n. 23. 31. 32. 34. 35. 50. 97.

40. Sine gratiá nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem. Vide elucidationem hujus propositionis, supra n. 23. 83. 84. 86. 87.

41. Omnis cognitio DEI etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire nisi á DEO, & sine gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum DEUM, loco affectuum adorationis, gratitudinis & amoris. Citatur hæc prop: n 23.

42. Sola gratiá Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei sine hoc nihil

nihil, nisi impuritas: nihil, nisi indigentia. Citatur suprá n. 23.

43. Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato, adeo, ut Spiritus, cor, & sensus non habeat plus vitæ pro peccato, quám homo mortuus habeat pro rebus mundi.

44. Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ: nascuntur: Amor DEI, qui omnia agit propter DEUM, quemque DEUS remuneratur; & Amor quô nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad DEUM referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.

45. Amore DEI in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque ejus actiones corrumpat. Vide huius prop: discussionem supra n. 48. 49. 53. 55. 73. 74. 85. 86.

46. Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt.

47. Obedientia legis debet profluere ex fonte: & hic fons est charitas, Quando DEI amor est illius principium interius, & DEI gloria eius finis, tunc purum est, quod apparet exteriùs; álioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia.

48 Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum sine fidei lumine, sine Christo & sine charitate. Citatur supra n. 88.

49. Ut nullum peccatum est sine amore nostri; itá nullum est opus bonum sine amore DEI.

50. Frustra clamamus ad DEUM, Pater mi, si Spiritus charitatis non est ille, qui clamat. Vide elucidationem hujus prop: n. 115.

51 Fides justificat, quando operatur, sed ipsa non operatur, nisi per charitatem.

52. Omnia alia salutis media continentur in fide, tanquám in suo germine & semi-

semine: Sed hæc fides non est abque amore & fiducia.

53. Sola charitas Christianô modô facit actiones Christianas per relationem ad DEUM & JESUM Christum.

54. Sola charitas est, quæ DEO loquitur, eam solam DEUS audit. Vide n. 112

55. DEUS non coronat, nisi charitatem: qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit.

56. DEUS non remunerat, nisi charitatem: quoniam charitas sola DEUM honorat, hæ tres propositiones citãtur supra n. 112.

57. Totum deest peccatori, quando ei deest spes: & non est spes in DEO, ubi non est amor DEI.

58. Nec DEUS est, nec Religio, ubi non est charitas. cit: n. 112.

59. Oratio impiorum est novum peccatum, & quod DEUS illis concedit, est

novum in eos judicium. Vide discussionem hujus proposi: n. 62. 64: 71.

60. Si solus supplicij timor animat pœnitentiam, quô est magis violenta, eô magis ducit ad desperationem.

61 Timor nonnisi manum cohibet: cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur.

62 Qui á malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram DEO. Vide discussi nem huius prop: 103.

63. Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat; aut adimpleat ex solo timore. V.n. 103.

64. Sub maledicto legis nunquam fit bonum: quia peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando.

65. Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui sunt absque eo quod ullum DEO dederint filium; cùm non effecerint, nisi mancipia per timorem. Qui ergo illorum sæculorum fuerunt electi

electi & justi, si Omnes fuerunt mancipia? Confer cun prop: 76.

66. Qui vult DEO appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem sicuti bestiæ; sed per fidem & amorem sicuti filii. V. supra n. 104.

67. Timor servilis non sibi repræsentat DEUM, nisi ut Dominum durum, imperiosum, iniustum, intractabilem.

68. DEI bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in fide & precibus

69. Fides, usus, augmentum, & præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis DEI.

70. Nunquam DEUS affligit innocentes: & afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem

71. Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam DEUS condidit propter ejus utilitatem. V. dissi: n. 136.

72.

72. Nota Ecclesiæ Christianæ est: quod sit Catholica, comprehendens & omnes Angelos cæli, & omnes Electos & justos terræ & omnium Sæculorum. V. supra n. 123.

73. Quid est Ecclesia nisi cætus filiorum DEI, manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sangvine, viventium ejus Spiritu, agentium per ejus gratiam Expectantium gratiam futuri Sæculi. Vid: n. 123.

74 Ecclesia sive integer Christus incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes verô Sanctos ut membra. V. ibid.

75. Ecclesia est unus solus homo compositus ex pluribus membris quorum Christus est Caput, vita, subsistentia & persona, unus solus Christus compositus ex pluribus Sanctis quorum est Sanctificator. V. ibid.

76. Nihil spatiosius Ecclesiâ DEI: quia omnes Electi & Justi omnium Sæculorum illam componant.

77. Qui non ducit vitam dignam Filio DEI, & membrô Christi, cessat interiùs habere DEUM pro Patre, & Christum pro Capite V. n. 115.

78. Separatur quis á populo electo [cujus figura fuit populus Judaicus, & Caput est JESUS Christus] vivēdo tam non secundum Evangelium quám non credendo Evangelio. V. supra n. 123. 126.

79. Utile & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi, studere & cognoscere Spiritum, pietatem, & mysteria Sacræ Scripturæ.

80. Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus.

81. Obscuritas sancta Verbi DEI. non est ratio Laicis dispensandi se ipsos ab ejus lectione.

82. Dies Dominicus á Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia Sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.

83. Est illusio, sibi persuadere: quod notitia mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione Sacrorum librorum. Non ex fœminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est scripturarum abusus, & natæ sunt hæreses.

84. Abripere è Christianorum manibus novum testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi est illis Os Christi obturare.

85 Interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ præsertim Evangeli est interdicere usum luminis filiis lucis & facere, ut patiantur speciem quandam excommunicationis,

86. Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ & intentioni DEI.

87. Modus plenus sapientiâ lumine & charitate est dare animabus tempus portandi cum humilitate & sentiendi statum pec-

peccati, petendi Spiritum pænitentiæ & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ DEI, antequam reconcilientur.

88. Ignoramus quid sit peccatum, & vera pænitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus ferre separationis istius confusionem. V. supra n. 88.

89. Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quòd cùm sit iam reconciliatus, habet ius assistendi Sacrificio Ecclesiæ. V. supra n. 66. 67.

90 Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu saltem præsumpto totius corporis.

91 Excommunicationis iniustæ metus nunquam nos debet impedire ab implendo debito nostro. Nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitiâ videmur expulsi, quando DEO, JESU

Christo atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus.

92. Pati potiùs in pace excommunicationem & anathema injustum, quàm prodere veritatem, est imitari S. Paulum: tantùm abet ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem.

93. JESUS quandoque sanat vulnera, quæ præceps primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato: JESUS restituit, quod ipsi inconsiderato zelô rescindunt.

94. Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quám videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt neque mores.

95. Veritates eó devenerunt, ùt sint lingva quasi peregrina plerisque Christianis & modus eas prædicandi est velut idioma incognitum: adeò remotus est á simplicitate Apostolorum, & supra com-

communem captum fidelium: neque satis advertitur, quód hic defectus sit unum ex signis maximé sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ DEI in filios suos.

96. DEUS permitit, ut omnes potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ

97. Nimis sæpé contingit, membra illa, quæ magis sancté, ac magis stricté unita Ecclesiæ sunt, respici atque tractari tanqum indigna ut sint in Ecclesia, vel tanqum ab ea separata: sed justus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.

98. Status persecutionis & pænarum, quas quis tolerat tanquam hæreticus, flagitiosus & impius ultima plerumque probatio est, & maximè meritoria, utpote, quæ facit hominem magis conformem JESU Christo.

99. Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut cognoscere se fuisse deceptum, mutant quo-

quotidie quò ad multos in odorem mortis id, quod DEUS in Ecclesia sua posuit, ut in ea esset odor vitæ: vg. bonos libros, instructiones, Sancta exempla &c.

100. Tempus deplorabile, quò creditur honorari DEUS, persequendo veritatem, ejusque discipulos. Tempus hoc advenit -- haberi & tractari á Religionis Ministris tanquam impium & indignum omni commercio cum DEO, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in Societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam religionis, persequendo flammâ ferrôque viros probos, si propria passione est excæcatus, aut abreptus aliena, propterea, quód nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare DEO impium, & sacrificamus Diabolo DEI servum,

101. Nihil Spiritui DEI & doctrinæ JESU Christi magis opponitur, quám

quám communia facere juramenta in Ecclesia: quia hoc est multiplicare occasiones peierandi, laqueos tendere infirmis & idiotis, efficere, ut nomen, & veritas DEI aliquando deserviant consilio impiorum

Auditis itaque tum voce, tum scriptô Nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum Suffragiis, Divinique imprimis luminis, privatis ad eundem finem, publicisque etiam indictis precibus, imploratô præsidiô, omnes & singulas propositiones præinsertas, tanqnam falsas, captiosas, malé sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas perniciosas, temerarias, Ecclesiæ & ejus praxi injuriosas neque in Ecclesiam solum, sed etiam in potestates sæculi seditiosas, impias, blasphæmas, suspectas de hæresi ac hæresim ipsam sapientes, necnon hæreticis & hæresibus ac etiam demum Schismati faventes, erroneas, hæresi proximas pluries damnatas, ac demum etiam hæ-

hæreticas, variasque hæreses, & potissimum illas, quæ in famosis Jansenii propositionibus, & quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis continentur, manifestè innovantes, respectivè, hac nostra perpetuò valitura CONSTITUTIONE declaramus, damnamus, & reprobamus.

MANDANTES omnibus utriusq; sexûs Christi fidelibus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quàm in hac eadem nostra CONSTITUTIONE continetur; ita, ut *quicumq; illas vel illorum aliquam conjunctim vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, Ecclesiasticis, censuris, alijsq; contra similia perpetrantes à jure Statutis pœnis, ipso facto, absq; alia declaratione subjaceat.*

Cæterùm per expressam præfatarum propositionum reprobationem, alia

alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus; cùm præsertim in decursu examinis complures alias in eo deprehenderimus, propositiones, illis, quæ ut suprà, damnatæ fuerunt, consimiles & afines, eisdemq; erroribus imbutas, nec sanè paucas sub imaginario quodam veluti grassantis hodie persecutionis obtentu, inobedientiam & pervicaciam nutrientes, easq; falso Christianæ patientiæ nomine prædicantes; quas propterea singulatim recensere & nimis longum esse duximus & minimè necessarium: ac demum, quod intolerabilius est, Sacrum ipsum novi Testamenti textum damnabiliter viciatum comperimus, & alteri dudum reprobatæ versioni Gallicæ Montensi in multis conformem, à vulgata verò editione, quæ tot sæculorum usu in Ecclesia probata est, atq; ab orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet,

debet, multipliciter diſcrepantem & aberrantem, pluriesq; in alienos, exoticos, ac ſæpe noxios ſenſus, non ſine maxima perverſitate detortum.

Eundem propterea Librum, utpote *per dulces ſermones & benedictiones*, ut Apoſtolus loquitur, hoc eſt, ſub falſa *piæ inſtitutionis* imagine, ſeducendis innocentium cordibus longè accommodatum, ſive præmiſſis, ſive alio quovis titulo inſcriptum ubicunq; & quocunq; alio idiomate, ſeu quavis editione, aut verſione hactenus impreſſum, aut in poſterum [quod abſit] imprimendum, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium iterum prohibemus ac ſimiliter damnamus; quemadmodum etiam omnes & ſingulos in ejus defenſionem tam ſcripto, quàm typis editos, ſeu forſan (quod Deus avertat) edendos libros, ſeu libellos, eorumq; lectionem, deſcriptionem, retentionem, &

uſum omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus *Sub pœna excommunicationis* per contrà facientes ipſo facto incurrenda, prohibemus pariter, & interdicimus.

Præcipimus inſuper Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis, aliiſq; locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ut contradictores & rebelles quoſcunque per cenſuras & pœnas præfatas, aliaq; juris & facti remedia, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachij ſæcularis auxilio, omninò coerceant, & compellant.

Volumus autem, ut earundem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillô perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides prorſus adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis ad.

hiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, & interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. MARIAM Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo decimo tertio, *Octo* idus Septembres, Pontificatûs nostri anno 13*tio*.

J. Card. Prodatarius
F. OLIWERIUS.
Visa de Curia L, Sergardus
LOCO PLUMBI
Regestrata in Secretaria Brevium
L. MARTINETTUS.

Affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Lateran. &c. Per me Petrum Romulatium Apostolicum Cursorem

ANTONIUS PLACENTINUS
Magister Cursorum.

Appono aliquot BREVIA ejusdem Sanctissimi Domini Nostri.

CLEMENTIS XI.

Data ex occasione.

CASUS CONSCIENTIÆ

Anno D. 1700,

Propositi, quadraginta Doctoribus Sorbonicis, per quendam Confessarium ratione doctrinæ.

JANSENISTICÆ CASUS.

QUidam Confessarius habens suum pœnitentem Ecclesiasticum suspe-

ctum de Jansenismo, quærit eum extra confessionem.

1. Quid sentiat de quinq; propositionibus Jansenii damnatis per INNOCENTIUM X. & ALEXANDRUM VII? Ecclesiasticus respondit, se has propositiones condemnare puré, sine restrictione, in eo sensu, in quo damnat Ecclesia, imó etiam in sensu Jansenii explicato per SS. D.N. INNOCENTIUM XII. Quod verò attinet factum Jansenii, dixit sufficere sibi, quòd habeat submissionem & respectuosum silentium circa hoc factum.

2. Quod attinet prædestinationem & gratiam DEI, dixit se esse persvasum, quòd prædestinatio sit gratuita, præcedatq; omnem prævisionem meritorum, & gratia quòd sit per se ipsam efficax, & sit necessaria ad omne opus pietatis.

3. De amore Dei respondit, quòd

omnes actiones humanæ, quæ ab amore Dei non referuntur saltem virtualiter ad Deum, & quæ non fiunt per impressionem amoris Dei, sint peccata.

4. Prædictus Ecclesiasticus credit non sufficere attritionem in Sacramento pœnitentiæ.

5. Asserit, quòd assistens Sacrificio Missæ in statu peccati mortalis, peccet.

6. Admittit cultum Sanctorum, principaliter B. V. MARIÆ, sed eum dicit non consistere in vanis votis & praxibus minùs seriis, quales reperiuntur in aliquibus auctoribus; uti inscribere nomen suum certæ Confraternitati, portare scapulare &c. maximè damnat eos Prædicatores, qui inculcant suis auditoribus talem fiduciam erga B. V. MARIAM, quasi illa posset peccatorem liberare à pænis æternis, ad quas Filius ejus eum damnaverat.

7. Tenet Beatissimam V. in peccato esse conceptam: cûm inquit, non sit contrarium decisum ab Ecclesia.

8. Legit libros scandalosos, qualès sunt Liber de frequenti Communione: Literæ Domini Sancyrani: Horæ Domini Montensis: Morale Gratianopolitanum: Rituale Domini d'Alet: Conferentiæ de Lusson: cum inquit, hi libri sint approbati ab Episcopis & Theologis.

Præsertim legit *Novum Testamentum* Gallicè impressum cum *Reflexionibus moralibus*; quia inquit est impressum cum approbatione Cardinalis de Noailles tunc Episcopi de Chalons seu Cabillonensis, post Archiepiscopi Parisiensis.

[Et hic est liber, ex quo postea excerptæ sunt centum & una propositiones damnatæ per bullam UNIGENITUS.)

Hac

Hac habita declaratione sui pœnitentis Confessarius consulit Doctores Sorbonicos, ab iis petens resolutionem: num hæc principia seu Sentimenta sint nova, singularia & damnata ab Ecclesia; & utrum debeat exigere à suo pœnitente, ut ea relinquat, si velit esse capax absolutionis?

Anno itaq; Domini 1700. die 26. Januarii, Viginti tres Doctores Sorbonici declarârunt hæc Sentimenta *nullam continere novitatem aut singularitatem, sed esse doctrinam sanam, puram, & talem, qualis communiter traditur in Ecclesia Catholica.* Cui Resolutioni subscripserunt se M. P.

Eodem anno 1700. die 20. Julii idem Casus propositus fuit aliis viginti quatuor Doctoribus Sorbonicis; qui eidem Resolutioni paucis immutatis subscripserunt hac formulâ: *Nos infrâ scripti Doctores testamur hac senti-*

sentimenta neq; esse nova, neq; singularia, neq; damnata ab Ecclesia, neq; demum talia, ut Confessarius debeat exigere à pænitente, ut ea relinquat ad obtinendam absolutionem peccatorum.

Auctor Historiæ hujus Casûs Conscientiæ zelozissimus Jansenista tom 1. pag: 19. addit, quòd etiam *Monsieur. . . . . satis notus Orbi ob excellentissima sua opera, subscripserit secundæ Decisioni hujus Casûs, licet nomen ejus non sit impressum cum aliis Doctoribus.* Et *sic* inquit, 48. *Doctores approbarunt Decisionem dicti Casûs.*

Hunc ego quadragesimum octavum Doctorem notum orbi ex operibus suis, putarem esse Paschasium Quesnellum [quia idem Auctor eodem tomo 1. pag: 320. fere ijsdem terminis laudat Quesnellum] nisi aliunde scirem, eum tunc non fuisse Parisiis, quando hæc Resolutio casûs approbabatur à Doctoribus Sorbonicis.

cis. Tunc enim Quesnellus, jam ab anno 1685. proscriptus à sua Congregatione latebat in Flandria, nulli cognitus, nisi suis amicis.

Quidquid sit de subscriptione Quesnelli, quam potuit dare per literas; hoc certum est, quòd ille in suo secessu Flandrico latitans, susceperit defendendam hujus Casûs Resolutionem, & typis vulgaverit librum Gallicè titulo: *Epistola unius Episcopi ad alterum Episcopum: seu Consultatio supra famosum Casum conscientiæ resolutum per* 40. *Doctores facultatis Theologicæ Parisiensis.* Qui liber magnos concitavit motus inter ingenia prò & contra opinantia.

Interim hæc Resolutio Casûs per 40. Theologos approbata, anno 1702. repetitis typis in Julio & Septembri prodit in lucem in tanta copia exemplarium, ut totam impleverint Europam. Quæ cùm Romam pervenissent,

ſent, excitârunt zelum vigilantiſſimi ſupra gregem Chriſti ſupremi Paſtoris Sanctiſſimi Domini Noſtri CLEMENTIS XI. ut ſequentem ederet.

CONSTITUTIONEM CLEMENS PAPA XI.

Cum nuper in lucem prodierint quædam folia Gallico idiomate edita ſub titulo *Letre de M. Chanoine de B. à M. T. D. A. &c. Cas de conſcience proposè par un Confeſſeur de Province, touchant un Ecleſiaſtiqué qui eſt ſous ſa conduite, & reſolu par pluſieurs Docteurs de la facultè de Theologie de Paris:* Quàm plures autem ex Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, quos ad examen dictorum foliorum ſpecialiter delegimus, auditâ, ac diligenter perpensâ foliorum hujuſmodi cenſurâ, quæ coram nobis relata fuit, folia ipſa

ipſa damnanda, & prohibenda eſſe cenſuerint.

Hinc eſt, quòd Nos pro commiſſa Nobis ab æterno Paſtore gregis ſui cura, Dominicas oves, quantum Nobis ex alto conceditur, à noxiis præſervare cupientes, de memoratorum Cardinalium conſilio, folia prædicta auctoritate Apoſtolica tenore præſentium *damnamus & reprobamus*, ac legi & retineri prohibemus, illorumq; impreſſionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem & uſum omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus etiam ſpecifica & individua mentione & expreſſione dignis *ſub pœna excommunicationis per contra facientes ipſô factô absq; alia declaratione incurrenda omnino interdicimus.*

Volentes, & auctoritate præfata mandantes, ut quicunq; eadem folia penes ſe habuerint, illa ſtatim, atquè præſentes literæ eis innotuerint, loco-

rum Ordinariis, vel hereticæ pravitatis Inquisitoribus tradere atq; consignare teneantur: in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunq;.

Ut autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam faciliùs perveniant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, & eadem auctoritate decernimus, ut illæ ad valvas Ecclesiæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, nec non Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumq; exempla ibidem affixa relinquantur, & sic publicatæ omnes & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, acsi unicuiq; illorum personaliter notificatæ & intimatæ fuissent: Utq; ipsarum præsentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii

tarii publici subscriptis, & sigillô personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quàm extra illud ubiq; locorum habeatur, quæ eisdem præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XII. Februarii MDCCIII. Pontificatûs nostri anno tertio.

F. OLIVERIUS.

Supra dictæ literæ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt &c.

Pro D. Mag: Curs: Thomas Orlandus Apost: Curs.

BREVE

Sanctissimi Domini Nostri PAPÆ CLEMENTIS XI. ad Regem

CHRISTIANISSIMUM.

CHarissime in Christo Fili noster, salu-

salutem. Audivimus nuper audaci planè ac subdolâ nonnullorum hominum operà, qui in id nati esse videntur, ut Ecclesiæ ac Reipublicæ pacem turbare non cessent, libellum quendam prodiisse, cui titulus: *Cas de conscientie propose parun Confesseur de Province, touchant un Ecclesiastique qui est sous sa conduite, resolu par plusieurs Docteurs de la faculté de Theologie de Paris:* Quo sanè plura perniciosæ doctrinæ capita erroresq; damnati revocantur in lucem, & ipsa etiam hæretica Jansenii dogmata non obscurè foventur, dum editæ olim pro ijs omnibus abolendis Apostolicæ Constitutiones captiosis subtilitatibus eluduntur.

Id porrò in quantum Christi fidelium scandalum, atq; utriusq; regiminis perturbationem vergat, Majestas tua, cujus mentem tantâ in gubernandis populis sapientiâ illustravit Altissimus, ex se satis ipsa deprehendet. Quo-

Quoniam verò contra istiusmodi homines continua novitatum prurigine laborantes, non amplius legibus ac sanctionibus, quæ satis multæ hactenus promulgatæ fuerunt, sed gravium potiùs adhibitione pœnarum agendum videtur, ne malum toties compressum & quotidie reviviscens ulteriùs serpat, opportunum existimavimus, damnato priùs juxta Sedis Apostolicæ morem libello, dilecti filii nostri Ludovici Antonij S. R. E. Cardinalis de Noailles, Ecclesiæ Parisiensis Præsulis zelum ac pietatem per Apostolica scripta excitare, ut in ejusdem libelli auctores evulgatoresq; præcipuos summo studio conquisitos severius animadvertat, Doctoresq; non paucos, qui Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones & Regia etiam Majestatis tuæ Decreta contemnentes, eidem libello palàm sub-

scri-

scribere non sunt veriti, debitis pœnis afficiat.

Ea autem in re, quâ non Ecclesiæ solùm, quæ Majestati tuæ maximé curæ est, sed & ipsius regni utilitas quæritur, summopere decet Regalis brachii tui in præfati Cardinalis auxilium exerceri potestatem: atq; ita paucorum hominum temeritatem compesci, ut palam fiat omnibus, eam hodie inter Sacerdotium & Imperium, miserante Domino vigere concordiam, ut impunè non liceat turbulentis ingeniis, ac nunquam cávillandi finem facientibus, Ecclesiasticas simul ac Regias leges infringere.

Novit profectò, Carissime Fili noster, novit & gratulatur Ecclesia omnis, quanto pietatis studio, quanta Regii nominis laude, eliminandis Catholicæ fidei ac disciplinæ adversis erroribus & novitatibus, præcipuè verò

verò radicitus extirpandis Jansenii dogmatibus adlaboraveris, tuæ nunc prudentiæ ac pietatis est, cæpto operi supremam manum adjicere, traditamq; tibi ab Altissimo potestatem in ipsius atq; Ecclesiæ suæ obsequium exercere.

Ne patiaris igitur Charissime Fili, ut tot labores ac studia, quæ exterminandæ ex florentissimo regno tuo pessimæ hæresis contagioni adhibuisti, paucorum hominum vesaniâ, fructu evacuentur. Sileant inquieti homines, coerceantur protervi, pareant contumaces, & quos Ecclesiæ mansvetudo non flectit, potestas regalis compescat & conterat: ut ita, quam Ecclesiæ Dei dederis, DEUS ipse donet regnis tuis ac perpetuó servet tranquillitatem. Eam interim ex animo precantes, Apostolicam simul Benedictionem tibi amantissimè impertimur.

Datum Romæ die decima tertia Februarii Anno millesimo septingentesimo tertió.

BRE-

BREVE

Sanctissimi Domini Nostri PAPÆ CLEMENTIS XI. Dilecto Filio Ludovico Antonio S. R. E. tit: S. MARIÆ super Minervam Presbytero Cardinali de Noailles nuncupato, Archiepiscopo Parisiensi.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili Noster Salutem.

NOn sine magna paterni cordis nostri amaritudine nuper accepimus editum Parisiis ac pervulgatum fuisse Libellum quendam, cui titulus: *Cas de Conscience proposé . . . & resolu par quarante Docteur de la facultè de Paris.* Mole siquidem perexiguum, sed multiplici noxiæ doctrinæ venenô abundè refertum: quô scilicet plures dogmatici errores perniciosæq; novitates adstruuntur, ac ipsæ etiam felicis record. Alexandri VII. Prædecessoris Nostri

Nostri ad Jansenianam hæresim non modò iterum damnandam, sed & præclusis omnibus callidorum hominū effugiis ac tergiversationibus radicitus evellendam, tanta maturitate editæ Constitutiones, quibus & nos firmissimè inhæremus, indirectè quidem ac veluti per cuniculos impetuntur.

Quid enim aliud esse dixerimus Libelli hujusmodi auctores tam splendido verborum apparatu erga Pontificias Constitutiones internam semper observantiam polliceri, quam interim exteriùs violant; & ut silentium polliceantur, quotidie silentium rumpere?

Quid inanibus quæstionibus, quæ ad nihil proficiunt, præterquam ad subversionem audientium, Ecclesiasticarum Sanctionum perspicuitati tenebras velle offundere, nisi malum, quod corde fovent, per quandam dissi-

dissimulationem aperire? Ita, ut illud jure usurpari possit: *Sermo eorum ut cancer serpit:* & aliud: *Acuerunt lingvas suas sicut serpentis, venenum aspidum sub labiis eorum.*

Ingemimus planè videntes homines, qui se Catholicos profitentur, eo temeritatis ac pervicatiæ devenisse, ut præfatis Apostolicis Constitutionibus. cæterisq; huius Sedis Decretis adhuc obviam ire, eorumq; vim emendicatis undiqué captiosis subtilitatibus eludere se posse confidant.

Verùm cùm subdolis eorum artibus, non modo ut par esset minimè obsistere, sed potiùs patrocinari, ac veluti manum porrigere conspexerimus non paucos Parisiensis Scholæ Doctores, qui Libellum ipsum palàm ausi sunt suô calculo comprobare, obstupuimus planè, & magna simul perturbatione pro Domo DEI exarsimus, statimq; ne commisso Nobis cælitus

cælitus muneri deesse videremur, de valido adhibendo remedio cogitavimus.

Quapropter Libellum ipsum, prævio, ut moris est, Theologorum examine, Apostolica auctoritate damnavimus, ac prohibuimus, ne ejus lectione fidelium mentes inficerentur.

At veró quoniam ut S. Prosper contra Collat. cap: ult: præclarè admonet, *Hujusmodi hominum pravitati non tam disputationum studio, quàm auctoritatis privilegio est resistendum*, circumspectionem tuam serió admonemus, ut zelum, quo maximè ferves pro sana doctrina Ecclesiæq;pace tuenda excites, exeras, atq; intendas investigandis omni studio diligentiaq; libelli hujus auctoribus ac præcipuis promotoribus, atq; vulgatoribus [neq; enim clàm fieri potuit, quod nonnisi á multis valuit perpetrari] ac in eos postmodum gravibus,

bus, ut tantæ debetur audaciæ, pœnis animadvertas.

Porró Doctores illos, quos sanè decebat magis expugnandis Ecclesiæ deterrimis hostibus, quám convellendis Apostolicæ Sedis Constitutionibus nomen inscribere, omnino volumus severam adeo te puniente districtionem subire, ut cæteri in posterum à similibus absterreantur.

Carissimum insuper in Christo filium Nostrum Regem Christianissimū & datis literis & per Venerabilem fratrem Philippum Antonium Archiepiscopum, Episcopum Imolensem Nuntium nostrum, qui plura tecum etiam hac de re dissereret, enixè rogamus, ut circumspectioni tuæ in exequendis hisce mandatis nostris, pravorum hominum nequitiæ coërcendæ regalis quoq; velit brachii auxilium impertiri. Quod quidem Majestatem suam pro summo, quem in

in compescendis hæresum ac novitatum fautoribus, hactenus ostendit, zelo, confidimus egregiè præstiturum.

Et tibi interim, dilecte fili noster Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur Datum Romæ 23. Februarii 1703.

EPISTOLA RESPONSORIA

Cardinalis de Noailles ad SS. D. N. CLEMENTEM XI.

BEATISSIME PATER

Accepimus cum magno grati animi pietatisq; sensu nuper missum ad nos à Sanctitate vestra decretum, quod vix dicere possumus, majoremnè nobis attulerit lætitiam, an admirationem? Multùm enim obstupuimus exultantes in Domino, Sanctitatem Vestram gravissimis accensæ Europæ pugnantiumq; Christianorum Principum bellis afflictam, in ipso pereuntium vicinarum urbium fragore,

re, & Romæ etiam vi concuſſæ terrore, dum placandæ iræ Divinæ intenta cælo veluti victima ſtaret Deum inter & populum, quaſi in publicis excubiis tranquilla re in portu poſitâ degeret, aciem mentis & ſolicitudinis intendiſſe in pericula noſtra, & accepto primo nuntio disperſi apud nos pernicioſi cujuſdam libelli, ſubitò damnatis, ſuppreſſisq; foliis, Apoſtolicâ cenſurâ ad primas incendii ſcintillas multiplicatis remediis occurriſſe; quod cum indefeſſæ & vigilanti charitati gratulemur, ſingulari etiam Præpotentis providentiæ tribuendum exiſtimamus, ſolenne Sanctitatis veſtræ Decretum nobis eo ipſo die redditum fuiſſe, quô Paſtorale Mandatum noſtrum aliquot dies ante datum promulgabatur.

Quo quidem ad condemnandam Deliberationem, & fulciendam Cenſuram noſtram, quid opportunius con-

contingere poterat aut felicius? Præcipuum Libelli noxii caput erat *Obſequioſum Silentium*, quod unum circa Janſenii ſenſum ſpondere in formulario exigi temerarii contendebant aliqui. Altas videbatur hæc opinio in mentibus quorundam exterorum egiſſe radices, imò & à nonnullis noſtris ſermone & diſputationibus ita jactabatur, ut & ſpeciali damnatione quàm primum opus eſſet, ne diutiùs invaleſceret, & incautas bonorum mentes præoccuparet. Hanc autem ſic damnavimus, ut nondum acceptis literis Sanctitatis veſtræ, ipſa tamen, quibus nos compellat, Beati Proſperi monita & exemplum ſecuti, hujusmodi hôminum pravitati non tam diſputationum, quàm auctoritatum privilegio reſiſteremus.

Ut enim de proſtrati dudum dogmatis corpore nullum membrum ſineremus aſſurgere, quemadmodum ille

adver-

adversùs Pelagianorum reliquias Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Cælestini, ita & nos Innocentii X. Alexandri VII. & Innocentii XII. decretis pugnavimus & demonstravimus peremptorum Jansenii causæ Fautorum armis intestinum bellum moventes, Apostolicis Constitutionibus rebellare.

Quam Censuram nostram Sanctitatis vestræ judicio humili reverentiâ submitto, & omnem hocce in negotio consilii mei rationem.

Ex quo iniqua ista folia ad nos pervenêre, pro rei gravitate & nostri officii debito statim insurreximus, & in omnem partem animum intendimus, quâ & malum omnino perspectum habere, & opportunis remediis præcavere possemus. Ad Deum iteratis votis recurrimus in hocce tenebrarum negotio; quod aliud dicere non possumus, nisi fructum inquieti in-

ingenij, imprudentis consilii, rebellisq; contumaciæ.

Sacerdos quidam Parisiensi Ecclesiæ nostræ mancipatus, vir aliunde pius & officii tenax, missam sibi â Confessario quodam extraneo chartam quibusdam Doctoribus obtulit, quos rogavit, ut Sententiam suam dicerent, & ut moris est, subscriberent, ut privati, inquiebat ille, cujusdam conscientiæ & quieti consuleretur.

Hinc origo mali: cujus auctor impunitus non abiit, amandatus jussu Regio in ultimam maritimæ Britanniæ regionem.

Quantum autem ad præsentes Theologos, qui inconsulta subscriptione Pœnitentis errores visi sunt approbare, sincerè dicam, Beatissime Pater, diu dubitâsse me, an verè subscripsissent, nec omnino immeritò: Unus enim homo minimè malus, literarum Hebraicarum Professor Regius, se nihil

unquam de hujusmodi deliberatione & subscriptione audivisse asseveranter profitetur. Alii non pauci homines candidi verecundè coram nobis conquesti sunt, deceptos se hominis, qui sincerus & pius dicebatur, professione, quâ declarabat se absq; ulla restrictione aut interpretatione subscripsisisse formulam, inpræsentiarum etiam damnare ex animo vel ipsum sensum Jansenii, imò & fidem adhibere determinationi circa factum, licèt diversam à debita dogmatibus fide. Hisce veri obsequii testimoniis delusos, & nihil doli suspicatos, benigniùs præsumpsisse in grariam Pœnitentis: ex quo præjudicio humiliter fatebantur, se non satis attendisse ad verba illa subdola, quibus subjungebatur Pœnitentem esse in opinione *observantiam silentii obsequiosi* sibi sufficere. Nostram interim conscientiam suppliciter interrogabant, num unquam

quam hoc in capite mali apud nos audivissent.

Doluimus Pater Beatissime, bonos illos Sacerdotes, quos longâ experientiâ, & sanioris fidei, & melioris notæ semper habuimus, molestissima hac causa, aliena fraude, aut potiùs sua simplicitate implicari.

Non potuimus, ut loquar cum S. Gregorio Magno, cujus redivivam imaginem sua charitate, eloquentiâ & pietate exhibet Sanctitas vestra, non potuimus Sacerdotes DEO occupatos, Christo & proximo servientes ulterius contristare; sed grata habita Catholica & sana declaratione, additis ad solatium veniæ & benevolentiæ nostræ testimoniis, ad solita munia dimisimus, certi, ut nihil ab ipsis ex animo peccatum fuerit, ita in posterum cautiores illos fore & prudentiores.

Alii verò [singulorum enim sensus &

& mentem perscrutari religioni du-
ximus]quos quidem existimaveramus
perspicatiores in detegenda prava
Pœnitentis dispositione & Consulen-
tium consilio, *& obsequiosi silentii ar-
canum* magis edoctos, hanc speciosam
quidem, sed ut semper duximus,
omnino vanam excusationem præ-
texebant: ex publicis instrumentis
quatuor Episcoporum Galliæ, quos
beatæ record: Clemens IX. in gra-
tiam recepit, & multiplici audacis
cujusdam Lovaniensis Theologi de-
claratione palàm oblata Innocentio
XII. & S. Officii Congregationi,
arguebant illi, toleratum saltem esse
Formularii sensum de obsequioso si-
lentio circa Jansenii factum. Ut au-
tem suam erga Ecclesiæ Decreta ob-
servantiam ostenderent, & omnem
contumaciæ & factionis suspicionem
à se amoverent, libellis supplicibus
omnem suam deliberationem, deter-
mina-

minationem & subscriptionem Ec-
clesiastico nostro judicio submisêre:
Hoc & protulimus & Apostolicæ
Sedi ex animo subdimus.

Vix autem Pastorale nostrum Man-
datum promulgatur, certatim dociles
occurrunt pleriq; eorum, qui libel-
lo subscripserunt, priora vota & subscri-
ptionem omnem damnatæ delibera-
tionis ultrò revocant, nostram utiq;
sententiam liberè complectuntur,
quam utiq; suam esse & fore seu
in sentiendo, seu in docendo nor-
mam ac regulam solenni adhuc spon-
sione pollicentur.

Ex his omnibus Beatissime Pater,
spem in Domino habuimus, futurum,
ut scandalum, quo laboravimus mo-
do, sit omnino finiendum. Det DE-
US, ut ultimo conatu expiret tandem
Janseniana hæresis & factio, quæ con-
tinuò à medio Sæculo & ampliùs S.

Sedis & Galliarum Præsulum curis, decretis & religiosa Christianissimi Regis auctoritate toties impugnata & contrita est.

In hocce, sicut & in quolibet Ecclesiæ negotio & in omni causa DEI meritò confidit Sanctitas vestra pietate invictissimi Principis, cujus non mediocris erit apud Deum immortalem & Christianam Rempublicam laus ac meritum, quòd omnibus novitatibus infensissimus semper fuerit, semper abhorruerit ab omni specie factionis & schismatis, quòd suam implorantibus Episcopis auctoritatem nunquam denegaverit, nihil habuerit antiquius, quàm ut debita Constitutionibus Apostolicis sua servaretur observantia. Hanc ergo dum recenti Mandato pro viribus defendo, novum quoq; ille Arrestum Regalis consilii edici, & promulgari voluit ad communiendam omni ex parte Ecclesiæ au-

auctoritatem & tranquillitatem.

Atq; ea est totius rei, omnisq; meæ in hoc negotiò villicationis ratio, Licèt autem multô jam solatiô ex perspecta nobis plerorumq; è Doctoribus sinceritate sublevemur, longamq; ex sedata tempestate tranquillitatem auguremur; non conquiescemus tamen, sed Paternis monitis tuis & exemplis provocati, vigil intentumq; judicium dirigemus in omnem latè partem, ut investigemus quod reliquum potest esse suspicionis & periculi, ut improbo cuilibet omnis via præcludatur ad nocendum, & ipse, si detegatur, puniatur ad vindictam & exemplum.

In quo quidem (ut verbis utar S. Gregorii *Lib: 6. Ep:*) nihil aliud quærimus, nisi ut sub consideratiône scilicet Omnipotentis DEI cuncta faciamus & nullius nos personæ respectus à rigore disciplinæ emolliat, neq;

vehemens indignatio in rigore aliquo immoderatæ districtionis obduret.

Ad felicem autem laborum meorum, vigiliarum, curarumq; fructum & exitum, continuam suam gratissima veneratione semper excolam benignitatem, ac Paternæ erga humilitatem meam in tanta gregis Dominici portione periculosè laborantem, charitatis præsidium unà cum Apostolica benedictione supplex imploro.

BREVE II.

Ad Christianissimum Regem LUDOVICUM. XIV.

CLEMENS PAPA XI.

CHarissime in Christo Fili Noster, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Ex ijs, quæ venerabilis Frater Philippus Antonius Archiepiscopus Episcopus Imolensis, Nuntius noster ad Nos retulit, non sine ma-

ximo animi gaudio percepimus Regium Majestatis tuæ zelum Nostris nuper Paternis vocibus excitatum cæpisse in præcipuos deterrimi libelli approbatores condignis pœnis animadvertere, Ludovicum Dupin nequioris doctrinæ hominem, temeratæq; pluries Apostolicæ Sedis dignitatis reum exulare jubendo.

Qua de causa singulare tuum ac fervens Ecclesiæ favendi studium, religiosamq; Pontificiis monitis obsecundandi voluntatem dignis commendare debemus laudibus, tibiq; & gratias agere, utq; cæptum egregiè opus prosequi velis vehementer adhortari; quandoquidem adversùs homines agitur, qui non nisi pœnarum severitate cöerceri valent: neq: verô excusationem obtendere jure possunt, qui tot Ecclesiæ Regniq; legibus, non quidem ignotis, ambiguis, sed palàm editis atq; perpiscuis obviam

ire sunt ausi, neq; admissi criminis veniam solâ Episcopalis judicii agnitione demereri, qui publicè in Ecclesiam Ecclesiæq; Caput Romanum Pontificem non uno nomine deliquère. Nimia videlicet erit impune peccandi licentia, si gravia quævis & aperta facinora, vel una satis deprecatione purgentur.

Cæterùm quòd libellum eundem Apostolicæ damnationis sententiâ confixum Edicto quoq; Regio proscripseris, summopere gaudemus. Ne tamen ex quibusdam Edicti verbis quisnam inferre præsumat, non sustinendæ modò sed & pariter impugnandæ *Jansenianæ hæreseos* in posterum viam præclusam esse; quandoquidem ab æquissima Majestatis tuæ mente prorsus alienum esse, nemo est, qui non sciat; utq; nova omnis subdolis ingeniis cavillandi ansa penitus præcidatur, maximè expedire arbitramur, ut

ut Majestas sua ea dere voluntatem suam expressiûs declarare non gravetur, quemadmodum idem Nuntius noster tibi uberiùs explicabit: quod sanè & fovendæ Christianæ fidei puritati opportunum & Nobis porrò gratissimum fuerit. Ita enim publicæ consulendum tranquillitati est, ut Catholicæ veritati, [salvis semper charitatis atq; modestiæ legibus] tuendæ locus non adimatur.

Ac Majestati tuæ Apostolicam Benedictionem perpetuo cum felicitatis tuæ voto conjunctam amantissimè impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 10. Aprilis 1703. Pontificatûs nostri anno tertio.

Sign: Ulyssis JOSEPHUS Archiepiscopus THEODOSIENSIS.

*Præter Ludovicum du Pin Professorem Philosophiæ Regium in Brevi Apostolico nominatum, alii quoq; tres Do*ctores

ctores in sua sententia obstinati j. ſſn Regio in exilium relegati sunt: uti Nicolaus Petitpied Soc: Sorbon: Professor Theologiæ missus est á Beaune seu Belnam in Burgundia sitam.

Fr: Petrus Ludovicus Gueston Canonicus Regularis ad S. Victorem missus est in exilium ad Abbatiam S. Rufi á Valence in Delphinatu.

Et Franciscus Hyacinthus de Lan Societ. Sorbon: Canonicus Theologalis Ecclesiæ Rotomagensis, seu de Roven missus in exilium à Perigueux.

Cæteri verò omnes se submiserunt Decreto Summi Pontificis & Ordinationi Archiepiscopi Parisiensis, suamq; subscriptionem retractârunt, atq; damnârunt: inter quos fuit celeberrimus ille Doctor Parisiensis ex Ordine Prædicatorum Fr. Natalis Alexander, cujus hic appono EPISTOLAM ad SS. D. N. CLEMENTEM XI.

BE-

BEATISSIME PATER

Quàmvis nihil prætermisisse videar, quod ad officii mei rationem pertinet, ut publicæ mederer offensioni, quæ ex editione infausti Conscientiæ Casûs orta erat, doluerimq; ex animo, quòd nomen meum inter ejus approbatores subscriptum legeretur, idq; publicis Actis declaraverim Eminentissimo Cardinali Noallio Arhiepiscopo Parisiensi, meiq; animi sensa ejus Eminentiæ aperuerim, datis ad eum literis die 8. Januarii ultimò præteriti, quæ per omnium manus, ipso primum exemplar seu potiùs auctographum communicante, volitârunt: Quàmvis illi doctrinæ meæ integritatem plenè probaverim etiam ex operibus meis, Theologia præsertim Dogmatica & Morali, quò ad ea de quibus quæstio vertebatur; Quàmvis Declaratio mea plurimos é

40. Doctoribus revocaverit ad officium, & ad ejurandam subscriptionem impulerit, idq; totum à me sponte, nullius jussu aut suggestione peractum sit, antequam CASUS ille malè vulgatus aliquo judicio Ecclesiastico damnatus esset; Quàmvis Eminentissimum Cardinalem Archiepiscopum Parisiensem integritatis fidei ac doctrinæ meæ vadem, & obedientiæ absolutissimæ erga Sedem Apostolicam & Sanctitatem vestram, testem interpretem, Sponsorem fuisse [quæ summa ejus benignitas est cum æquitate conjuncta] certò noverim; animum tamen meum effundo lubens ad pedes Sanctitatis vestræ, illosq; devotè exosculatus, me plurimùm & ex animo dolere profiteor, quód hujusmodi CASUI nimia facilitate subscripserim.

Plura in foliis editis addita, vel interpolata suspicor, quæ in originali à me

à me subscripto non extabant: nec inanes esse, ac malè fundatas suspiciones meas agnosceretis, si inquieti homines, qui Casum temerè ediderunt, auctographum cum subscriptionibus exhiberent. Sed illud supprimere è re fuit petulantium hujusmodi ingeniorum, & ad perturbationem Ecclesiasticæ pacis scripturientium, ne illorum malignitas palàm fieret.

Ut, ut est, Beatissime Pater, non solum ex animo doleo de subscriptione, qualiscunq; illa fuerit, non solum illam ejuro, quæ per obreptionem à me impetrata est [nec enim retractare me pigebit unquam, & censorio stylo denotare, quæ à me scribi aut subscribi minimè debuerant] verùm etiam pari animi demissione, obedientiâ, adhæsione mentis & cordis absolutissima, subscribo Literis Apostolicis, ac Decreto Sanctitatis vestræ, quo folia Gallico idiomate edita,

edita, & *Conscientiæ Casum* cum subscriptionibus Doctorum continentia, vestro judicio damnata sunt & prohibita; parem inquam Apostolico vestro Decreto die 12. Februarii ultimo præteriti dato obedientiam exhibeo, quam Constitutionibus Innocentii X. Alexandri VII. Clementis IX. Innocenti XII. Decessorum vestrorum, quibus quinq; propositiones famosæ in sensu Jansenii damnantur.

Quod semper me præstitisse absq; restrictione prorsus ulla, aut æquivocatione, & tota animi sinceritate, coram DEO & vestra Sanctitate profiteor, illisq; qui contrarium saperent, palàm ac liberè dicere cum S. Ivone Carnotensi Episcopo: *Manifestè contra Sedem Apostolicam Caput erigitis, dum quod illa ædificat, vos quantum in vobis est, destruitis, & quod illa destruit, vos ædificare contenditis; cujus judiciis & Constitutionibus obviamire, planè*

planè est hæreticæ pravitatis notam incurrere .... Nam hæreticum esse constat, qui Romanæ Ecclesiæ non concordat.

Hunc animi mei sensum toti Ecclesiæ satis superq; exposuisse mihi videor in præfatione Commentarii in quatuorEvangelistas nuper á me editi, nominique Beatitudinis Vestræ dicati, quem ad ejus pedes deponet Magister Generalis Ordinis Nostri.

Benedictionem Apostolicam summa devotione exopto & deprecor, dum votis ac precibus assiduis, multos annos, prosperam semper valetudinem, & cælestium, donorum incrementa Sanctitati Vestræ á DEO flagito.

Beatitudinis Vestræ Observantissimus, devotissimus & obsequentissimus Filius & Servus.

Fr. NATALIS ALEXANDER
Ordinis FF. Prædicatorum

Parisiis pridie Kalendarum Octobris 1703.

Non

Non minores eodem tempore etiam in Belgio RESOLUTIO hujus CASUS conscientiæ excitavit tricas & turbas, quas Lector ex mox apponendis authenticis Episcoporum Belgii Ordinationibus & Academiarum judiciis discere potest.

EPISTOLA.

Van Susteren Vicarii Generalis Arhiepiscopi Mechliniensis ad Facultatem Theologicam Academiæ Lovaniensis.

Reverendi admodum, ac eximii DOMINI.

AB aliquo tempore ad Illustrissimum ac Reverendissimum Archiepiscopum Nostrum missa fuit acclusa RESOLUTIO CASUS, in qua minimè obscurè Jansenismus restauratur, & Decreta Episcoporum Nostrorum apertè impetuntur.

Archiepiscopus pro zelo suo efficacissimas contra eam ad Reverendissimum Patrem de la Chaise Confessa-

fessarium Regis Christianissimi dedit literas, quales etiam jam audio dedisse Facultatem Theologicam Duacenam ad illam novaturientem Resolutionem non parùm commotam.

Ego cum non minorem sciam zelum Reverendarum admodum, ac Eximiarum Dominationum Vestrarum, haud ingratum fore credo, si eum audeam interpellare, & instantissimè exposcere, ut non gravetur quoq; Facultas Vestra doctrinæ modo integerimæ, quæ est laus Superis, & novitarum pura, efficaces etiam dare literas ad eundem Reverendissimum, quibus scandala & pericula ex Resolutione illa proventura vivè exponat, & instanter eundem roget, ut dignetur Regis Christianissimi auctoritatem implorare apud Antistites Galliæ interponendam, ad jungendum zelum suum zelo Episcoporum nostrorum, præsertim Archiepiscopi nostri ad con-

condemnandam præmemoratam Resolutionem.

Sic testatum facietis, Reverendi admodum ac eximii Domini apud Reverendisimum hunc, integritatem vestram, pro qua ipse [uti ex ore ejus & aliundè probè novi] tam strenuè laboravit. Sic gloria vestra crescet apud DEUM & apud homines. & sic Majore cum certitudine videbo, quòd meritò hactenus fuerim, ac justiore titulo in posterum futurus sim ex animo.

Rndarum admodum ac eximiarum Dominationum Vestrarum Humillimus & obsequentissimus servus H. I. Van Susteren Vica: Gener:

Dat. Mechliniæ 17. Febr: 1703.

JU-

JUDICIUM.
Theologorum Lovaniensium.
I.
De Silentio Obsequioso.

COntradicit sibi exquisita illa silendi ambitio, dum se se submissione reverentiæ & silentii defungi putat, & interim in eodem articulo audacissimè loquitur, quòd *erga decisionem facti & juris fidem non exerceat eandem.*

Quis enim hunc silentii amatorem talia coëgit loqui, dum medium silentium tenerent omnia? Et quomodo 40. Subscriptores temerarii silentii [quod approbare videntur] reatum evadent, qui tanquam viri doctissimi ignorare non potuerunt, quòd ejusmodi scriptiones & subscriptiones *per se loquantur*, sopitos ignes suscitent, & ut verbis Episcoporum

Galliæ

Galliæ Parisiis die 28. Mart: 1654. ad Innocentium X. datis utamur: *Hac arte restaurandis disputationibus iisdem sibi locum apertum relinquere parant, & redivivæ litis prolixam materiam.*

II.

De restrictione formularii ad sensum INNOCENTII XII.

Captiosa atq; suspecta, necnon à quibusdam, quantum equidem videtur, cavillatoribus Belgis mutuata est restrictio juramenti in Formularium Alexandri VII. ad mentem Innocentii XII. in Brevi suo ad Episcopos Belgii dato expressam.

Captio in eo sita est, quod restringit ad Breve Apostolicum in numero singulari. Cur enim non nominat BREVIA omnino duo super eadem materia ab eodem Pontifice ad eosdem Episcopos data? Sed nempe abutuntur BREVI die 6. Febr: 1694. dato,

dato, quod sic interpretari ausi sunt, ac si Pontifex ille aliquid de Alexandrinæ Constitutionis rigore remittens contentus fuerit condemnatione Propositionum in sensu obvio, sine respectu ad sensum ab Auctore intentum.

Pravam autem hanc ipsorum interpretationem idem Pontifex circumscripsit in Brevi altero die 24. Novembris 1696. ad eosdem Belgii Episcopos dato: ubi dicitur: *Non sine admiratione intelleximus, nonnullos istis in diœcesibus reperiri, qui verbis & calamo ausi fuerint affirmare supra dictô nostrô Brevi alteratam esse Constitutionem Alexandri VII. 16. 8bris Anni 1656. editam, necnon Formularium ab ipsomet pronuntiatum, cùm dicto BREVI utrumq; specificè confirmetur, & omnino intenderimus, & intendamus iisdem adhærere, & nequaquam sinere, ut aliquid addatur vel dematur à prædi-*

cto Formulario, illud quovis modo alterando in aliqua ejus minima parte, sed quód in omnibus & singulis ejusdem partibus, uti mandavimus, mandamus etiam ad amussim observari. Hactenus Pontifex.

Prætensus Ecclesiasticus ille, si in jurando Formulario mentem suam ad Innocentii XII. sensum componere voluit, non unius tantûm BREVIS, sed etiam alterius meminisse debuit, atq; ita Formulare totum quantum, quo ad omnes & singulas ejus partes observare.

III.

De distinctione Juris & Facti.

TOtum prætensi Ecclesiastici studium in hoc versatur, ut distinguat Factum à Jure, & utrumq; separando, apertis verbis profiteatur se fidem non exhibere eandem erga decisionem unius, quám alterius.

In quo contumaciter resistit determinationi Ecclesiæ, quæ non egit in hoc casu *de Facto personali*, sed *Doctrinali*, non *de facto transeunte*, quod per testes fallibiles probari debeat, *sed de facto permanente* (videlicet Libro) quod per se ipsum comparuit in judicium, adeoq; a Jure est *inseparabile*, unâq; & eâdem jubetur condemnatione, & uno ac eodem juramento perstringi.

Verba Formularii, cujus omnes & singulæ partes juxta secundum Innocentii XII. BREVE, ad amussim observari debent, sunt clara: *Quinq; propositiones ex Cornelii Jansenii Libro, cujus nomen AUGUSTINUS, excerptas, & in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas Cостitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincerô animô rejicio, ac damno, & ita juro.*

Clara sunt pariter verba Constitutionis *Ad Sacram* die 16. Octobris

bris 1656. datæ & in præfato formu-
lario citatæ: *Quinq; illas propositio-
nes ex libro præmemorati Cornelii Jan-
senii Episcopi Iprensis, cui titulus est*
AUGUSTINUS, excerptas, *ac in sensu
ab eodem Cornelio Jansenio intento
damnatas fuisse definimus & declara-
mus.*

Atq; hæc de Formulario, quod sine
ulla distinctione jurandum esse præ-
tensus Ecclesiasticus ex prædicto pri-
mo BREVI Apostolico Innocentii XII.
discere debuit, ubi dicitur: *Qui ad
juramentum adigendi sunt, illud præ-
stare debent sincerè absq; ulla distincti-
one, restrictione seu expositione, damnan-
do &c.*

Proindeq; impactum esse in Con-
stitutiones Pontificias, & Breviâ A-
postolica, Ordinationes Episcoporum
Synodales, & præsertim nuperas Pa-
risienses anno 1700. deniq; in De-
creta Regia, perspicuum est. Alinqui
si at-

si attentatum subsistat, eò tandem de-
venietur, ut sexaginta & amplius an-
nis ab omnibus mundi Potestatibus
adversùs unum Jansenii librum, seu
falsas doctrinas ejus [quod absit]
nihil actum esse videatur.

Cùm tamen Ecclesia Catholica,
quidquid in hac materia fecit, exem-
plum, doctrinamq; Pauli Apostoli se-
cuta sit: ubi Epist: 2. ad Timoth: C. 2.
primó quidem docet damnare hære-
ses in Communi in omni sensu hære-
tico, quem habent: *Profana autem &
vaniloquia devita: multùm enim pro-
ficiunt ad impietatem* v. 16. Statim
auctores citat, atq; nominat: *Et ser-
mo eorum ut cancer serpit, è quibus
est Hymenæus & Philetus.* v. 17. po-
stea verò declarat ipsos erråsse: *qui
à veritate exciderunt.* v. 18. Deinde
exhibet ipsorum propositionem hæ-
reticam: *dicentes resurrectionem jam
esse factam.* ibid. Deniq; quasi causam

 expri-

exprimit, cur non sufficiat damnare doctrinam, sed veniendum etiam sit ad personas: & *subvertunt quorundam fidem.* &c.

IV.

De Operibus DEO non gratis.

IN fine articuli quarti videtur asseri 25 Bajana à Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. proscripta propositio: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.*

Quasi verò nullæ peccatorum vel etiam infidelium tales eleemosinæ, aut alia misericordiæ vel alterius virtutis moralis opera rectè possint à peccatis vindicari. Etsi enim & nos existimemus, opera omnia virtualiter saltem in Deum veluti finem ultimum nostrum referenda esse, agnoscimus tamen multa opera in Deum non sic relata, non tantùm ex objecto & fine sive in sua specie, verum

rùm etiam in se ipsis à parte rei & in individuo bona esse, quinimo homines per ea hoc obtinere, ut [verbis Augustini utimur] *mitiùs ardeant.* Non enim DEUS, ad quem ista opera sic referenda esse & nos sustinemus operum istorum propriè finis est, sed operantium.

Quare hanc expressionem: *Omnes actiones quæ ad Deum non referuntur saltem virtualiter, & quæ fiunt non ex motivo amoris DEI sunt peccata ob defectum finis boni & recti,* censemus erroneam esse, & ab Ecclesia sæpiùs proscriptam.

V.

De devotione erga Sanctos.

QUæ referuntur art. 6. de cultu Sanctorum ac præsertim D. Virginis, in præsentibus circumstantiis non carent suspicione. Non enim tantùm dicit veram devotionem consistere in

magno erga eam amore, humilitati & virtutum ejus cultu, atq; in patrocinii ejus confidentia; sed insuper generatim rejicit omnia vana vota & praxes minùs serias, quas in quibusdam auctoribus videre posse dicit. Et interim præter veram suam, quam descripsit devotionem, nec commendat neq; declarat se approbare venerationem imaginum, Rosariorum, Sodalitatum, aliarumq; pietatum, quæ ab Auctoribus Catholicis Catholicè juxta Ecclesiæ praxim, Decreta Pontificum & Conciliorum & maximè Tridentini proponuntur.

Quousq; in hac materia, nimirum de cultu Sanctorum, ac prælertim D. Virginis quidám Rigoristæ processerint, ex variis ipsorum factis & scriptis, ac signanter libello, cui titulus: *Monita Salutaria ad indiscretos B. Virginis Cultores* per Innocentium XI. proscripto, satis compertum est. Quare-

re manet suspicio non contemnenda, utrum prætensus Ecclesiasticus ille has etiam probatas pietates inter vana vota & praxes parùm serias forsan non reputet.

VI.

De Rituali Aletensi.

INcurrit Ecclesiasticus ille censuras in Constitutione Clementis IX. quæ incipit *Credito nobis* anno 1668. inflictas. Temerariè vitiligatorum more asserit Pontifici subreptum fuisse: quod ridiculè conficere nititur ex Epistola communicatoria à Pontifice ad Auctorem mensibus aliquot post condemnationem data.

Quis enim nesciat, quot & quantas idem Auctor [proscripti libri, ut fieri assolet, censuris manentibus] postea receperit Communicatorias etiam ab Innocentio XI. Et tamen ipse Auctor propter hoc non existimavit

Librum suum Condemnationi severissimæ subtractum fuisse; sed usq; ad finem vitæ suæ sensit & indoluit, & frustra deprecatus est mitigari censuram, quam Clemens IX. his verbis tulerat. *In quo non solùm continentur nonulla ab ipso Rituali Romano jussu fel: record: Pauli Papæ V. Prædecessoris Nostri edito, aliena; sed etiam doctrinæ quædam, & propositiones falsæ, singulares, in praxi periculosæ, erroneæ & consvetudini in Ecclesia communiter receptæ, atq; Ecclesiasticis Constitutionibus oppositæ & repugnantes, quarum usu & lectione Christi fideles in jam damnatos errores sensim induci ac pravis opinionibus infici possent.* Hactenus Censura Pontificia.

Verba autem Epistolæ Deprecatoriæ à Nicolao Pavillon præfato Alectensi Episcopo die 25. Octob: 1677. ad Innocentium XI. frustra datæ, sunt.

Est & aliud grave mihi, Beatissime Pater,

Pater, quod meæ cum Apostolica Sede Communioni umbram aliquam offundere videatur, Censura scilicet à Romanis Inquisitoribus, [Notabenè adscribit Romanis Inquisitoribus id, quod Summi Pontificis fuerat] *Rituali Libro, qui á me ad usum nostræ Dioecesis editus est, injusta. Libri illius á plurimis licèt Fratribus Coëpiscopis solemni approbatione laudati, novum examen subire non detrecto, imó peropto, si modò Sanctitas vestra per se pro sua benignitate oculos, & animum advertere dignata fuerit. Quidquid in eo emendandum pro sua sapientia duxerit, hoc pro reverentia mea emendandum duco.*

At pristinum Inquisitorum judicium, acerbum nimis & injuriosum cò magis deprecor, quó pleraq; Ethica Christianæ dogmata, tanquam sub Generali Ritualis nostri censura damnata á Viris Illusoribus, qui supra populum juxta Prophetam dominantur, passim traduci doleo. Hanc

labem á me, hanc á Sanctissimis dogmatibus fraudem & calumniam, ut amoliatur Sanctitas vestra ultimùm obsecro, & supplico.

VII.

De versione Novi Testamenti Montibus impressi.

COmmendatur à prætenso Ecclesiastico Art. 9. hæc versio Montensis, quam non jam Inquisitionis aut alia aliqua Congregatio, verùm ipse Clemens Papa IX. in Constitutione sua quæ incipit: *Debitum Pastoralis Officii* meritò sub censuris proscripsit tanquam Librum *temerarium, damnosum, á vulgata editione difformem, & offendicula simplicium continentem, prout á viris doctis abundè demonstratum fuit; ut taceamus illam, ferè ubicunque occasio fert, Jansenianis dogmatibus ac præsertim in materia prædestinationis & gratiæ favere.*

VIII.

VIII.

De aliis Libris prohibitis.

TOta deniq; prætensi Ecclesiastici Bibliotheca, quæ hîc producitur, consistens *in literis Abbatis San: Cirani, Horis D. du Mont, Morali Grationopolitano & libro de frequenti communione*, apertè insinuat, quam ideam de ipso formare licet: cùm similes libri nec tractari cum tanto zelo, nec laudari unicè & commendari aliis soleant, nisi ab hominibus rigorismi & ejusmodi novitatum generis plenis.

Dabamus Lovanii die 10. Martii 1703.
HENRICUS OVERBEKE Bedellus
Facultatis & Notarius.

Simile Judicium tulerunt Theologi Academiæ Daucenæ, quod longum esset referre.

DE-

DECRETUM.

Illustrissimi ac Reverendissimi D. Humberti Gvlielmi à Precipiano, Archiepiscopi Mechliniensis, Primatis Belgii &c.

QUantopere Galliarum Episcopi apud sedem Apostolicam, ad quam perfidia non potest habere accessum, olim insti terint, ut profligaretur Janseniana hæresis, & quàm fuerint lyncei in omnibus filiorum iniquitatis fraudibus, technis & dolis retegendis, incognitum est nemini. Quis enim frequentissimos Cleri Gallicani cætus in hunc finem ab ijs Episcopis coactos, quis datas ad Innocentium X. Alexandrum VII. & Clementem IX. plenas Spiritûs Divini literas, quis alios gravissimos conatus, Rege Christianissimo suffragante, adhibitos ignoret?

Verùm, quæ DEI ad Ecclesiæ suæ incolumitatem perpetuò vigilantis beni-

benignitas est, nondum defervescit antiquus ille ardor; viget etiamnum & sacra ac verè pastoralia hodiernorum illius regni Episcoporum pectora mirificè inflammat. Id quod nos sæpe quidem, sed nunquam magis experti sumus, quàm cùm in lucem emissum est quoddam scriptum, cui titulus. *CASUS Conscientiæ propositus per quendam Confessarium .... & resolutus per plures facultatis Theologicæ Parisiensis Doctores.*

Hoc scriptum mole quidem exiguum, sed tamen multiplice ac subtili ad instaurandam Jansenianam hæresim refertum fraude & astu, ut primùm visum est in Belgio, toti inhorruimus, & volutantes animo ingentem stragem, quam editurum erat in vinea Domini, vel fortè jam tunc clanculum serpens ediderat, non potuimus non altùm ingemiscere, & cum mellifluo Doctore exclamare

serm:

serm: 45. in Cant, *Juvate me Socii, ut capiatur vulpes demoliens vineam: Vel potiùs capite vos nobis eam o Angeli Sancti! Versuta est valdé, operta est iniquitate, & impietate sua, planè tam pusilla atque subtilis, ut facile quidem humanos frustretur obtutus.*

Et ecce gemitus noster auditus est. Angeli Galliæ (ita in Apocalipsi nominantur Episcopi) deprehenderunt vulpem, quia ut idem Sanctus prosequitur, *longé plus nocet falsus catholicus, quám si verus apparreat hereticus.*

Sicut autem Majores causas ad Sedem Apostolicam referre solennis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro jure suo postulat, ita & hoc Scriptum relatum est ad SS. D. N. CLEMENTEM PAPAM XI. ut quid de illo sentiendum sit, novô oraculô declararet. Et quàmvis ex sua altissima specula advers-

-sùs illud pestilens scriptum jaculatus fuerit tam terriculum fulmen, quàm suprà vidimus; tamen Episcopi Gallicani, ut quò vocati sunt, venisse se in partem solicitudinis ostenderent, suis etiam telis propriis, id est Episcopalibus Censuris, idem in suis quisq; Diœcesibus confodiendum censuêre.

Sed nec ibi stetit Præsulum istorum Sanctus ardor. Unà cum Episcopalibus suis Censuris ediderunt Pastoralia Monita atq; Institutiones, in quibus hoc scriptum pluribus confutant, multiplices ejus infringunt versutias, ostendunt delitescens in eo virus, salutarem incutiunt Jansenianæ perfidiæ horrorem, & commissum sibi gregem ad integram definitionibus Apostolicis exhibendam obedientiam & submissionem judicii cohortantur.

Quo autem Spiritu & fidei Catholicæ zelo scriptæ sint Institutiones illæ

illæ omnes, & quàm non sint dissimiles illis lucubrationibus, quas olim SS. Patres adversus hæreticos elaborârunt, nobis quidem discere licuit, præcipuè ex Mandato & Institutione Pastorali Illustrissimi ac Reverendissimi Episcopi Carnutensis, quam ad nostras manus venisse, plurimùm in Domino gaudemus. Quippe cùm nos eam legeremus, cor nostrum ardens erat in nobis, & subdi nobis sentiebamus novos stimulos, novos ardores, ut *tortuosum* [sic enim ferè loquitur Alexander VII.] *Jansenianæ hæreseos* colubrum, qui per *dictum Casum conscientiæ* luctatur iterum tum in Belgio, tum in Gallia, erigere toties attritum Caput, & antiquos sibilos mittere, fortiter aggredi pro Pastorali nostra solicitudine nunquam intermitteremus.

Quæ quidem Pastoralis Solicitudo, à Pastore magno ovium D. N. JESU Christo toties in Sacris eloquiis Epi-

scopali

scopali Ordini commendata, debet hoc rerum articulo in nobis eò esse Major, quò in nostra Archidiœcesi aliqui è Subditis nostris etiam Ecclesiasticis, pauci illi quidem (nam plures gratiâ DEI aspirante jam sequuntur definitiones Apostolicas] voluerint hunc temerè propugnare Casum, quemadmodum ex documentis certis, minimèq; dubiis, non sine acerbissimo animi nostri mœrore edocti sumus.

Cùm verò ea nos solicitudo urgeat, maximè ad reprimendos varios gyros & cavillationum defluxus, in quos Janseniana hæresis per hoc Scriptum iterum ivit, cûmq; nihil æquè, ac Pastoralis illa Institutio laudati Illustrissimi Episcopi Carnutensis, qui hîc tulit omne punctum, ad hanc rem conducturum esse videatur, visum nobis fuit, ut dictam Institutionem juberemus donari latinitate, & à nobis adoptatam per Archidiœcesim nostram mitti.

mitti. Ejus tenor est, qui sequitur.

PAULUS gratiâ DEI & auctoritate Sedis Apostolicæ Episcopus de Chartes seu Carnutensis &c. Vide hanc Institutionem alibi: hîc longum esset, eam totam describere.

Habetis Carissimi Mandatum & Institutionem Pastoralem Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Carnutensium Episcopi non minùs veræ pietatis & orthodoxæ fidei illustribus notis distinctam, quàm Sapientiæ Sacræ & insigniorum Patrum Conciliorumq; sententiis munitam, ac proin hoc tempore etiam in nostra Archidiœcesi perutilem ad reliquias Jansenismi proterendas, & ejiciendum ex omnium manibus dictum CASUM conscientiæ, qui [quod & nunc gementes dicimus] simplicioribus & incautis Jansenianum toxicum instillet.

Quapropter nos, quibus nihil debet esse potius, nihil antiquius, quàm ut

oves

oves Pastorali nostræ Solicitudini commissas, à tantæ contagionis fœditate, si integræ sint, omni quo possumus modo servemus; curemus autem, si morbidæ sint jam atq; infectæ; hoc ejus Mandatum & Institutionem, ut initio innuimus, plane adoptamus & volumus haberi ut nostra, eisq; tantum quantum possumus auctoritatis & roboris in nostra Archidæcesi impertimur.

Damnavit quidem dictum conscientiæ Casum Sanctissimus D. N. CLEMENS PAPA XI. [cujus Decretum & Brevia vide superiùs] atq; adeo jam Os Domini locutum est, tuba Spiritûs Sancti intonuit, vox Domini in virtute, vox Domini confringentis cedros Libani, vox Domini intercidentis flammam ignis, & hoc plus, quàm satis est, ut obstruantur ora loquentium iniqua.

Sed tamen nos volentes zelo nostro

plenè,

plenè, cumulateq; satisfacere, & juxta exemplum ejusdem Illustrissimi ac Reverendissimi Carnutensis aliorumq; Episcoporum, nihil quod ad extirpationem hæreseos, & ad propagationem orthodoxæ fidei, facere utcunq; potest, prætermittere, vel intentatum relinquere; eundem CASUM CONSCIENTIÆ quocunq; editum vel edendum idiomate, sive seorsim, sive insertum Opusculis, pro Archiepiscopali nostra auctoritate, quâ nos DEUS & Apostolica Sedes armârunt, prohibemus itidem ac damnamus, iisdemq; notamus Censuris, quibus eum laudatus Episcopus Carnutensis notavit; Mandantes &c.

Hæc si ritè *Sanctè*q; serventur, benedicet nobis DEUS ex Sion, & videbimus pacem super Israël & Ecclesiam DEI. Pax longa erit nobis, si pacis fuerimus & non iniquitatis filii, eritq; multitudinis credentium cor unum & anima una. Datū

Datum Bruxellæ in Palatio nostro Archiepiscopali 2. Januarii 1704.

H. G. A. M. Ut.

DECRETUM,

Serenissimi Principis JOSEPHI CLEMENTIS Archiepiscopi & Electoris Coloniensis Episcopi & Principis Leodiensis, Ducis utriusq; Bavariæ &c.

Sicut peritorum Dilectissimi, *prudentiumq; medicorum est* (ut magni Leonis verbis ordiamur) *passiones infirmitatis humanæ remediis prævenire, & quemadmodum saluti contraria declinentur, ostendere: ita Pastoralis Officii est, ne Dominico gregi hæretica malignitas noceat, providere, & qualiter luporum & latronum improbitas sit cavenda, demonstrare.* Id Officii tantò nos impensiûs hoc tempore cordi habemus, quantò majorem lupos istiusmodi, dum Pastorem per præsentes belli

tumultus

tumultus à grege suo avulsum cer-
nunt, ovili nobis commisso stragem
minitari non sine magno animi mœ-
rore agnoscimus.

Siquidem quotidianis ferè, quæ
ad nos perferuntur, iisq; nimium lu-
culentis testimoniis edocemur, *Janse-
nianam hæresim*, quæ hactenus per
Galliam & Belgium grassata, Leodii
nisi latenter aliquorum animis se in-
sinuaverat, nunc postquam eximiô
Franciæ Belgiiq; Præsulum zelô, &
religiosô sanè Christianissimi ac Ca-
tholici Regum edictô imperiôq; anti-
quis suis sedibus exulare coacta est,
Lupis his tutum sibi à tam vigilan-
tium Pastorum persecutione asylum
quærentibus, Leodium commigrâsse,
& in Civitate illa, Pastoris per præ-
sentis belli injurias absentis oppor-
tunitate usam, domicilium fixisse;
ita ut Legia, quæ olim Romæ se fi-
liam non immeritò gloriata, dici

cum eadem poterat *Discipula verita-
tis*, inverso nunc Magni Leonis en-
comio facta videri possit hodie *Ma-
gistra erroris.*

Siquidem ubi fundata quondam per
D. Hubertum fuerat Cathedra, ex
qua perpetuis deinceps temporibus
Orthodoxæ fidei hostes acerrimè con-
futabantur, nunc stabilita proh dolor!
reperitur officina, in qua perniciosissima
quotidie tela adversus Romanam Se-
dem cuduntur, & parricidalia in Ma-
trem arma ab ipsa filia parantur.

Peracerbum profectò cordi nostro
accidit, tam multos in dies videre in-
fames partus, quos brevi abhinc tem-
pore, subdola Novatorum hujusmodi
nonnullorum impietas, Legiâ obste-
tricante, præsertim Typographorum
quorundam operâ enixa fuit, eò qui-
dem nocentiores, quòd & simulatâ
quâdam erga Sanctam Sedem, cujus
tamen reipsa judicium subterfugiunt,

reverentiâ ac obsequiosâ subjectione, & affectata conscientiæ verum bonumq; inquirentis: cum tamen hanc nonnisi in transversum agere contendant, teneritudine, sancta omnia præseferant, atq; sic faciliùs intra fidelium, quorum simplicitati ea specie imponant, penetralia recepti, latens hæreticæ pravitatis venenum avidè hauritibus propinent, lateq; quaqua versùm diffundant.

Non immeritò sanè depestiferis id genus opusculorum Auctoribus usurpare possumus illud melifluì Abbatis Bernardi: *Hi oves sunt habitu, astu vulpes, actu & crudelitate lupi. Hi sunt, qui boni videri, non esse; mali non videri, sed esse volunt. Mali sunt, & boni videri volunt, ne soli sint mali. Etenim minùs semper malitia palàm nocuit, nec unquam bonus, nisi boni simulatione deceptus fuit. Ita ergo in malum bonorum boni apparere student, mali*

mali nolunt, ut plus liceat malignari. Neq; enim est apud eos virtutes colere, sed vitia colorare quodam quasi virtutum minio, &c.

Et verò licèt complures sint, qui hanc luporum indolem à Bernardo descriptam in scriptis suis prælo datis egregiè exprimant, præ aliis tamen talem se monstrat velut reliquorum princeps Auctor libelli illius, cui titulus: *CASUS conscientiæ propositus.... & resolutus per plures Theologicæ Facultatis Parisiensis Doctores.*

Qui eodem ferè tempore, quo in Gallia vulgatus fuit, Leodii quoq; in Civitate nostra editus, quod lugentes audivimus, typis Broncordianis lucem aspexit, de quo jure meritissimo Sanctissimus D.N. CLEMENS Papa XI in Epistola ad Christianissimum Francorum Regem desuperdata pronuntiat, quòd eò plura periciosæ doctrinæ capita, erroresq; damnati revocentur in lu-

lucem, & ipsa etiam hæretica Jansenii dogmata non obscurè foveantur, dum editæ olim pro iis abolendis Constitutiones Apostolicæ captiosis subtilitatibus eluduntur.

Hæc causa justissima fuit, cur non solùm idem vigilantissimus Ecclesiæ universalis Pastor *auctoritate Apostolica perniciosissimum hunc libellum damnârit, reprobarit, ac legi, retinerig; prohibuerit, & ejus impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem ac usum omnibus & singulis Christi fidelibus sub pœna excommunicationis, per contrafacientes ipso facto, absque alia declaratione incurrenda, omnino interdixerit:* Sed alii quoq; tum Galliæ, tum Belgii Præsules permulti, ut, quò vocati sunt, in partem solicitudinis Apostolicæ venisse se probarent, & veterem illum SS. Patrum adversùs hæreticos acerrimè depugnantium zelum etiamnum in Successoribus vi-

gere ostenderent, propriis letiferum illud Scriptum Censuris, in suis quisq; Diœcesibus confixisse non contenti, per *Pastoralia* insuper *Monita* atq; *Institutiones*, illud egregiè planê confutârint, ac detectâ dolosæ doctrinæ, nonnisi zizania in agro Dominico disseminantis virulentiâ, commissum sibi gregem salubri ejus horrore, neporrò incautos fucata pravitas, & tritici similitudo deciperet, imbuerint.

Censuimus enimverò tam illustribus Catholicorum Episcoporum, contra hæresim hanc ita strenuè insurgentium exemplo animati, nostrarum quoq; partium esse, ut contra pestilentem hunc fætum intra Diœcesis nostræ viscera natum, Pastoralis zeli gladium stringamus, & cum Orthodoxis istis Franciæ Belgiiq; Præsulibus socia arma adversùs communem hunc Ecclesiarum nostrarum inimicum jungamus.

Quod quidem nobis tantò magis credidimus incumbere, quantò certiùs nobis constat, complures etiam Patronos, qui post Romanam quoq; Censuram, exitialem hunc Librum propugnare non erubescunt, in Dœcesi nostra delitescere, imò quotidie plures ex aliis Provinciis exules, hac lue infectos, ac propterea pulsos isthuc confluere, qui id unum omnibus viribus laborent, ut ovibus nostris Pastore suo orbatis, doctrinæ hujus perniciosæ pestem, quâ ipsimet afflati sunt, possint communicare.

Itaq; illud rursus Magni Leonis monitum cordi habentes, cum dixit Serm: 4. de Collect: *Magna est pietas prodere latebras impiorum, & ipsum in eis, cui serviunt, diabolum debellare.... Cavendi sunt, ne cuiquam noceant; prodendi sunt, ne in aliqua Civitatis nostræ parte consistant*, &c. Secundùm eam, quam pro grege Ma-

Magno Pastore JESU nobis commissò gerimus; solicitudinem, constituimus luporum istius modi in ovinis pellibus venientium indolem, ac nefaria dogmata detegere, Decretoq; Pastorali atq; Institutione virulentas versutias, quibus Casûs Conscientiæ Auctor cum sequacibus suis *errores Jansenianæ Hæresis* jam pridem damnatos subdolè in simplicium animos insinuare nititur, edocere.

Et verò opportunè venit ad manus nostras per hos dies *Mandatum & Institutio Pastoralis* Illustrissimi ac Reverendissimi Episcopi Carnotensis, quæ, si quæ alia, solidissimè dictum quæ, si quæ alia, solidissimè dictum CASUM Conscientiæ confutavit ejusque fucatam doctrinam ad lucem veterum Conciliorum examinatam, cumq; SS. Patribus collatam, hæretico veneno undiq; infectam esse, non minus eruditè, quàm nervosè demonstravit.

 Cui

Cui cùm vix addi quidquam posse videatur, aut eo melius, ad propositum denovo confici illustrissimi Archiepiscopi Mechlinensis laudabile exemplum imitati, hanc ipsam Præsulis Carnotensis Institutionem, latinitate donatam, adoptare nobis decrevimus, & ut *pesti Jansenianæ* obviàm eatur, per Diœcesim nostram Leodiensem promulgare. Ejus tenor est qui sequitur:

PAULUS

Dei gratiâ & Auctor, *&c.*

EN Mandatum & Institutionem Pastoralem Illustrissimi ac Reverendissimi D. Carnotensium Episcopi, non minus veræ pietatis & orthodoxæ fidei illustribus notis distinctam (ut cum Illmo Archi-Præsule Mechliniensi loquamur) quàm Sapientiæ Sacræ, & insigniorum Patrum Concilio-

rumq; sententiis munitam, ac proin hoc tempore etiam in nostra Diœcesi Leodiensi perutilem ad semina Jansenismi evellenda, & ejiciendum ex omnium manibus dictum *CASUM Conscientiæ*, qui simplicioribus & incautis Jansenianum toxicum natus est instillare.

Quapropter & nos, ut oves Pastorali nostræ sollicitudini commissas à tam pestiferæ contagionis fœditate, si integræ sint, omni quo possumus modo servemus; curemus autem, si jam morbidæ sint atq; infectæ; hoc præfati Præsulis Mandatum & Institutionem planè adoptamus, ac pro nostro haberi volumus, eisq; tantum, quantum possumus, auctoritatis & roboris in nostra Diœcesi Leodiensi impertimur simulq; hisce amplexi, quâ par est reverentiâ Diploma Ss. D.N. CLEMENTIS XI. 12 Febr: 1703 datum, ejusq; mentem secuti, Libellum qui

inscribitur *CASUS Conscientiæ* &c: damnamus.

Damnamus inquam hunc Libellum pro Episcopali nostra, quâ nos DEUS & Apostolica Sedes armârunt auctoritate, ac de consensu Coadministratoris nostri sub pœna excommunicationis, in quam ipso facto incurretur, omnibus & singulis cujuscunq; sexûs, generis aut conditionis fuerint, tam Ecclesiasticis, quâm laicis, tam sæcularibus, quàm regularibus interdicimus, ne suprà dictum libellum servare apud se, vendere, aut ulla ratione spargere audeant; ne legant ipsi, aut ejus doctrinam in usum adducant, ne illius lectionem aut usum approbent; hoc adjecto MANDATO, ut quicunq; illius exemplaria, seu typis edita, seu manuscripta habuerint, ea deferant ad Fori nostri Ecclesiastici Tabullarium, ubi supprimantur. Omnibus item Confessariis propositâ pænâ interdicti,

in quam ipso facto incurrent, præcipimus, nullum ut absolvant, quem in doctrina Casûs instius à nobis damnata pertinacem repererint.

Quin, ut porrò malis obviàm eamus ex hac doctrina profecturis, quam in nostra Diœcesi grassari deprehensum est, omnibus declaratum volumus, neminem deinceps ad suscipiendos ordines, ad Ecclesiastica beneficia vel officia, ad excipiendas confessiones, ad prædicandum Dei Verbum, ad dirigendos animos, ad gubernanda quævis Sodalitia, ad instituendam juventutem, aliavé hujus generis munia, quæ à nobis pendeant, admissum iri, nisi formulam fidei à Ss. D. N. ALEXANDRO VII. Constitutione sua 15 Febr: anni 1665 editam subscripserint.

Ad extremum, quoniam multitudo prope infinita libellorum, quâ Novatores isti Provinciam nostram

seu Diœcesim opplere quotidie non desinunt, ut gliscenti in dies huic malo occurramus hoc ipso etiam præsenti MANDATO nostro sub pœnis à jure constitutis, interdicimus universis fidelibus, ne imprimant, aut vendant, ullové modo spargant; ne legant aut servent apud se ullum ex libris, seu scriptis, à Sede Apostolica prohibitis, in quibus suprà dicta Jansenii doctrina continetur.

Et quia parùm conduceret, iterdictum fuisse fidelibus *Casu isto Conscientiæ*, si interim licitum his foret scripta alia tam multa habere præmanibus, ubi, quidquid ille perniciosioris doctrinæ continet, non nudè, ut in ipso casu proponitur, sed argumentis in speciem plausibilibus, & magno studio, magnaq; industriâ exornatis ita stabilitur, ut facilè minùs peritis hominibus fucus fiat: Idcirco operæ pretium esse duximus, nostræ huic Censuræ

præ-

præcipuorum ejus generis Scriptorum Indicem adjungere, simulq; denuntiatis, quas modo diximus, pœnis prohibere, ne quis in nostra Diœcesi deinceps quidquã illorũ imprimat, venundet, aut ullo modo publicet; ne quis aut legat ipse aut eorum lectionem svadeat, vel approbet, aut doctrinam iis contentam in praxim redigat.

Longus hîc texitur Catalogus prohibitorum Gallico & Belgico idiomate: ego tantum Latinos recenseo.

Pauli Irenæi Disquisitiones.

Ad Innocentium XII. Supplicatio pro abrogatione Formularis in Belgio.

Panegyris Janseniana.

Apologia Panegyreos Jansenianæ 1 & 2.

Ca-

Capistrum ab Embricensi Interpete dono missum M. S. V. A. Declamatori inversionem Belgicam novissimam Novi Testamenti.

Fides Theologorum Belgarum asserta adversus mendacium novum, quod nuper ipsis impegit M. Steyaert V. A. accusator fratrum suorum antiquus.

Advertentia & Reconventio adversùs M. Steyartii impertinens & laciniam Sabbatinalem 20 Jun: 1699.

Epistolæ duæ circa librum, cui titulus: La Souverenté des Rois.

Epistola Apologetica adversùs examen translationis Flandricæ Novi Testamenti Embricæ impressæ 1698.

Gratia triumphans denovis liberi arbi-

arbitrii decomptoribus, inflatoribus, deceptoribus, &c: per Vincent: Palæophilum.

Dilemmata Theologica Molinistis & Jansenistis mitigatis proposita.

Discordiæ Jansenianæ Enarrator.

Exc: D. M. Steyaert morbus & remedia.

Animadversiones in Næniam funebrem Martini Steyaertii Doctoris Lovaniensis &c: &c: &c: &c.

Ut autem tantò meliùs omne, quod ex pestilentibus his libris in gregem nostrum redundare posset, periculum propulsemus, volumus, & decernimus, ut Typographi ac Bibliopolæ, qui hunc *CASUM Conscientiæ*, vel ejus apologias, aliavé ejusmodi scripta,

pta, præsertim illa, quorum modò Catalogum texuimus post hac impresserint, imprimi curaverint, vendiderint aut habuerint, quin illi etiam, qui ab ipsis emerint, ad nos vel nostrum in spiritualibus Coadministratorem, per quemvis, qui hoc quoque modo sciverit, sine ulla cunctatione deferant, habendi tanquam fautores hæreseos, & præter pœnas juris suprà inflictas, aliâ præterea arbitrariâ illâ quidem sed tamen gravi inexorabiliter puniendi.

Insuper mandamus, ac præcipimus RR. DD. Examinatoribus nostris, ut eos, qui examini oblati fuerint, de punctis suprà dicti *Casûs Conscientiæ*, cætersiq; ad Jansénismum pertinentibus accuratè interrrogent, & deferant ad nos, si ulla exparte eis suffragare videantur. Eos autem qui Formulario subscribere, aut jurare tergiversati fuerint, nolumus, ut unquam ad

ad Sacros Ordines, aut Ecclesiastica munia approbent, aut admittant.

Deniq; ut cujus gravissimis verbis cæpimus, ejusdem etiam sententiâ finiamus ex ore rursum S. Leonis: Nequis de Sancto grege pereat, præcaventes, paternis vos denuntiationibus admonemus, ut labia iniqua & linguam dolosam, à quibus animam suam prophæta liberari postulat, declinetis, quoniam sermo eorum, sicut ait B. Apostolus, serpit, ut cancer. Humiliter irrepunt, blandè capiunt, molliter ligant, latenter occidunt. Veniunt, enim sicut Salvator prædixit, sub vestitu ovium, intus autem sunt lupi rapaces: quia non possunt veras & simplices oves fallere, nisi Christi nomine tegerent rabiem bestialem.

In iis autem omnibus operatur, qui cùm sit veræ illuminationis inimicus, in lucis se angelum transfigurat.

..usmodi igitur Pseudo-apostolos, qui sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi fugite dilectissimi, nec tam contagiosæ illorum Societati communicate.

Datum Namurci 20 Martii 1704.

Josephus Clemens Elector.

Locus ✠ Sigilli.

F. Passerat.

CON-

CONCLUSIO.

EN benevole Lector HISTORIAM JANSENISMI & QUESNELISMI non alicujus privati sensu suo abundantis Auctoris scriptam, sed Summorum Pontificum Decretis & Constitutionibus, ac Catholicorum Episcoporum, qui sunt Os Christi, & lingvæ Spiritûs Sancti, Mandatis, Ordinationibus & Institutionibus enarratam: quibus, qui non obtemperat, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus.

SUMMA CONTENTORUM in hoc libello.

Quin.

Ad majorem DEI Gloriam, Eccleſiæ exaltationem, Hæreſeon ſuppreſsionem.